COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS VII. PARS IV.

LIPSIAE. MDCCLVIIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Kongl. Suenska Vetenſkaps Academiens Handlingar foer Aor. 1757. Vol. XVIII. med. Kongl. Academiens Tillſtoand. Tryckte i Stokholm hos Lars Salvius pao deſs egen Koſtnad, 1757. 8 mai. pl. 20. tab. aen. 6.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae Anni 1757. Vol. XVIII.

Trimeſtre primum.

1) P. WARGENTIN *modos aerem in nauibus renouandi*, recenſet. Enumeratis variis antiquis, potiſſimum Trieualdiano et Haleſiano immoratur. TRIEWALD machinam ſuam, (quae in Actis 1744 deſcripta legitur) Septembri 1741 conſtruxit, et librum de illa edidit. Statim etiam adhibita eſt in nauibus bellicis regiis, uſus autem illius paullo poſt intermiſſus, quod SHELDONIO referente, effectus eius nociui aegris ſentirentur. Patet igitur ſcopo ſuo maxime idoneam eſſe, cum nimium illud in effectu, moderatiori uſu euitari facile poſſit. HALESIVS de ventilatore ſuo nihil typis edidit ante annum 1743 et tunc ad experimenta Suecica prouocauit, ipſe enim machinam ſaltim nauibus in portu quieſcentibus ap- p. 1. p. 10.

plicauerat. Hinc litem de inuentione ita dirimit Noſter, ut utrumque in idem fere inuentum incidiſſe exiſtimet. Commodior TRIEVALDII machina a SHELDONIO, nauium bellicarum in Suecia architecto praedicatur. Sed iam utrique palmam SVTTONII inuentum eripuit.

p. 14. 2) *De electricitatis, ad plantarum vegetationem promouendam, effectu experimenta a ſe inſtituta* edit EDVARD. FR. RVNEBERG, Iulii 4. anni 1754. Holmiae amygdalorum nucleos quinos ciſtae uni ligneae, quinos alii ciſtae ligneae ſimili et aequali, item ternos vaſi lapideo, lythargyrio non obducto,
p. 17. ternos alios alii vaſi ſimili et aequali indidit. Omnia haec curauit, ut temperiei aeris, luci ſolis etc. eodem modo exponerentur, uni vero ciſtae, unique vaſi ſaepius electricitatem, filorum ferreorum ope, immiſit. Experimentorum, quae uberius recenſet, prae-
p. 26. cipua conſectaria generalia haec ſunt: Plantae electrificatae prius ex terra emerſerunt, et plerumque celerius creuerunt, non electrificatis; aliis tamen adhuc experimentis inquirendum eſt, an hoc diſcrimen electricitati debeatur. Plura etiam amygdala in vaſis electrificatis prodierunt, quam in non electrificatis. Vna plantarum electrificatarum viginti quatuor horarum ſpatio lineis, hoc eſt, digiti decimalis ſuccis partibus decimis octo creuit, quod nulla non electrificatarum fecit. Neque harum ulla altitudinem duarum electrificatarum attigit. Electricitas excita eſt uſque ad Nouembris decimum quartum ubi ob frigus intermiſſa eſt, quod iam ante illum debilitarem reddiderat. Creſcente vero frigore et electricitate adeo decreſcente, minui incrementum plantarum electrificatarum viſum eſt. Laetiores etiam ſex creuere electrificatae plantae non electrificatis, et unius earum ſtolonem laete creſcentem ex radice ſua protruſit.
p. 28. Longitudines ſingularum plantarum diebus octoni-

ostonis captas tabula exhibet; ex illis medium sumendo, incrementum 491 vicibus electrificatarum reperitur linearum $82\frac{1}{2}$, non electrificatarum $53\frac{2}{3}$. Plantas per hyemem conseruandi occasio nulla fuit, igitur cubiculo frigido inclusit, ubi non electrificatae festo natiuitatis Christi frigore perierunt, electrisatae vero incolumes visae sunt, donec Ian. 1755 folia illarum flauescere coeperunt, colore tamen viridi manente usque ad Ian. 28; Februario deciderunt. PIVATI sententiam perspirationem electricitate augeri, cum experimentis suis conciliare Noster non potuit, flores quippe electrificati in aequalibus distantiis olfactum eius non magis adfecerunt non electrificatis. In splendore etiam illo ex plantarum electrificatarum foliis exeunte non cum PIVATO salem, oleum, sulphur plantae videt, electricitatis vi ex planta expulsa, sed commune phaenomenon lucis ex angulis corporum electrificatorum emergentis. Caeterum plantis his data est electricitas, quam *excessiuam* KLINGENSTIERNA appellat, alii *internam;* quodsi igitur haec incrementa plantarum auxit, *defectiua* siue *externa* videtur idem imminutura. Sed de hac aliis experimentis dispiciendum est. p. 26. p. 27.

3) *De Sarcohydrocele singularis magnitudinis feliciter sublata* commentatur HERM. SCHÜTZER. Sacerdoti annor. 44. sanguineo cholerico, inde ab anno 1745 testiculus sinister intumuit et durior redditur nullo tamen magno dolore nec negotiorum impedimento. Is tumor tandem ad longitudinem $3\frac{1}{2}$ quartarum ulnae partium et latitudinem dimidiae ulnae excreuit. Holmiam venit nostrum consulturus, qui ACRELIO, NATHORSTIO, ipso etiam ROSENIO suadentibus sectionem suscepit. Morbi vero, quos ante pertulerat aegrotus, corpus fluidis acribus plenum gerere illum ostenderunt, et sarcocele, hydrocele et enterocele comitabantur. Incisione ouali p. 29. p. 31. p. 33.

ouali, manus adultae longitudine, per integumenta communia facta, illaque integumentorum portione resecta, saccum, qui partes morbosas continebat, aperuit, effluente circiter mensura lymphae flauescentis. Deinde scrotum inde a regione supra annulum versus inferiora dilatauit, scrotique et cistae, quae lympham continuerat, portionem abstulit, ubi testiculum scirrhosum mirandae magnitudinis reperit. Illum a partibus omnibus, quibuscum cohaerebat, auulsit, ut saltim funiculo seminali teneretur. Huius vasa tum arteriosa tum venosa cum digiti crassitiem aequarent, noluit integrum fasciculum una ligatura circumdare, igitur arteriam a vena separauit, singulasque acu et filo, prima vice prope annulum, altera prope testiculum circumduxit. Reliquas arterias ad scrotum tendentes simili modo ligauit, omnes enim magnitudinis praeternaturalis erant. Iam testiculum resecuit, cui pondus erat trium *marcarum* suecicarum; lino discerpto sicco et fasciis siccis vulnus sueto more obligauit, abdomen unguento diathaeae cum camphora calido unxit et panno crassiori, (*Fries*) oleo rosarum calido et aceto vini madefacto, texit, tegminis hoc genus saepius, quotidie per dies 14 renouans. Data sunt aegro iuscula tenuia, emulsiones refrigerantes, addito pauculo camphorae; et primis octo diebus ptisana diluens, cum febris suppuratoria ingrueret, sed benignior quam sperari potuerat. Secundo post operationem die octo sanguinis unciae ex vena secta emissae sunt, quinto die vulnus unguento basiliconis, balsamo arcaei, oleo cerae et flauo ouorum commixtis unctum, decima die egregie et insigniter suppurauit. Ligaturae plurimae die 12 et 14 deciderunt duae usque ad septimanam quartam manserunt. Vna illarum cum vasis spermaticis annulum intrauerat, carne iam renascente et vulneris labia occludente. Igitur specillum canum indice sinistro sub ligatura lateraliter introduxit filumque

que caute reſecauit. Deſtructa reliqua cyſtae parte et vulnere noua carne occluſo lini fragmenta mollia et ſicca impoſuit, carnis incrementum nimium lapide infernali compeſcuit ſicque vulnus ſanatum eſt, penisque et ſcrotum ad naturalem formam redierunt. Tabula adiecta partes morboſas exhibet.

4) *In* BRELINI *emendationem tangentium claui chordiorum* ALGREN, SCHEFFER, PALMQVIST *inquirunt.* p. 36.

5) *Aequationem differentialem, ad quam reducitur Problema, quod* trium corporum *vocant, et a quo theoria lunaris accuratior pendet, integrare docet* FR. MALLET. p. 40.

6) *Mercurii ſub ſole tranſitum Wittebergae* 1756. *obſeruatum* GEORG. MATTH. BOSE deſcribit. Exitus momentum ſaltim vidit, in eo etiam Aſtronomis plerisque felicior. p. 51.

7) PETRVS OSBECK *plantae cuiusdam aquaticae culturam commendat.* Eſt illa *Poa aquatica* LINN. Fl. Su. 73. LINNAEVS in itinere per Gothiam occidentalem ad lacum Venern copioſe creſcere vidit, eſt vero maxima inter gramina ſaltim molliora et, quae pecorum pabulo conueniant. Culmis horrea tegunt ruſtici. Noſter radices ad fluuiorum ripas et in pratis udoſis plantauit, quae egregios prouentus dederunt. Satio non ſucceſſit, forte quod ſemina matura non fuerint, ſero enim matureſcunt. Vaccae et vituli auide hac planta veſcuntur, et ſic paludes in prata frugifera mutari poſſunt. Radices plantationi idoneae manſerunt, etſi per triginta milliaria noſter illas detulerit, abietis cortice tantum inuolutas. Obiter monet, in Sina vidiſſe ſe *Sagittariam ſagittifoliam* LINN. Fl. Su. 869 cultam ob radices eſculentam, p. 53.

ſinenſem vero ruſticum dedecori ſibi ducere, quae in agro ſuo naſcuntur, uſumque illorum, ignorare.

p. 56. 8) *Plantarum ſemina pluribus annis terrae inſita poſſe nullo vis vegetatiuae detrimento, experimentis probare conatur* M. NORBERG. Tabacum Turcicum, quem vocant, aliquando plantauit, plantam unicam ſemini ferendo reliquit, matura vero ſemina et collecta in aquam proiecit. Interim quotannis, effluxerunt autem ab illa plantatione anni 7 vel 8, plantulae tabaci eo in loco ubi prior ſteterat, propullularunt, quae ſtatim ubi apparuerunt, euulſae ſunt. Nullibi vero in vicinia haec ſpecies colitur, neque ab animalibus comeditur, ut ſic potuiſſet eo deferri. Igitur in radicibus aut ſeminibus terra tectis hanc vim per tot annos permanſiſſe colligit, tunc vero emerſiſſe plantulas, cum terra fodiendo agitata ſatis prope infra ſuperficiem terrae delata ſint, neque enim profundius, quam octaua aut quarta digiti parte demergi
p. 59. volunt. Obiter monet, illius transmutationis unius generis plantarum cerealium in aliud aut in gramina, exemplum, dum alio nomine per 20 annos vacauerit, nullum ſe vidiſſe. Hoc vero experientia didiciſſe, cum ſemina plantarum culinarium uſui proprio et ut vendere poſſit, coluerit, non conuenire, ut plantae adfines iuxta ſe ponantur, inde enim varietates naſci, quae ad nullam ſpeciem reduci poſſint, nullique fere uſus ſint.

p. 61. 9) *De aurora boreali ex naue quadam Suetica viſa refert* CAR. GVST. EKEBERG.

p. 64. 10) *De oſſe bregmatis ac maxilla inferiore caris abſumtis, poſt vero renatis* refert I. G. WAHLBOM. In Oelandia 1749 autumni tempore puero quinquenni caput et facies cum dolore et febre intumuit. Febre ardente tres ſeptimanas poſt decubuit et integris

ſeptima-

ſeptimanis 5 furens. Ad ſaniora rediens de dolore integri corporis praecipue vero capitis conqueſtus eſt. Hic cum 10 ſeptimanas durauerat, cutis et, quod ſub cute ſitum eſt, tegmen caluariae, corii ambuſti ad modum, corrugari coepit rimasque agere fronte verſus crinium ortum, item ad aures, tandemque decidere, particula in vertice ſuperſtite, quam pater, medicus enim nullus aderat, forcipe auulſit, nullo aegri ſenſu. Sic nudata caluaria inde a futura coronali ad lambdoideam oſſaque temporum et futuram ſquamoſam nigreſcere et floccorum vel cineris groſſioris ad modum defluere, ſicque omnia uſque ad futuras praedictas deſtrui, oſſis vero bregmatis pars ſuperior ad futuram ab oſſe frontis ſeparari, ut pars magnitudine imperiales duos aequans decideret. Iam patebat dura mater, ſpectabaturque cranium ſingulis inſpirationibus eleuari. Dura mater coloris nigro coe p. 67
rulei erat, mucore vireſcente tecta. Hic rerum ſtatus dimidio circiter anno fuit, parentes vero mane et veſpere cuiusuis diei excrementa recentia vaccina, cataplaſmatis ad modum, vulneri immediate impoſuerunt, nulla enim alia medicamenta tolerauit. Sic materia quaedam extracta eſt, praeter ea vero cataplasmatis haec vis fuit, ut ſtatim ac remouebatur, durae matris color albidus appareret, in nigro coeruleum abiturus, ſi paulatim noui impoſitio retardaretur. Sub finem, cum vulnus fere ſanatum eſſet, cataplasma hoc non amplius adhibuerunt, quoniam effectus eius in trahendo, ut dixerunt nimius eſſet. Interea cartilago velut pauxilla carne obducta figura anguloſa et undata ex oſſe frontis et ad aures naſci, ſenſimque augeri, totum denique caput noua velut caluaria ſesquianni decurſu includere. In medio verticis ſupra duram matrem carnis quidpiam excreſcebat ſanguinem fundens cum tangebatur aut cum cataplasma mutabatur: id alumine uſto conſumtum eſt. Capite rurſus tecto, crines renaſci, niſi quod exigua

pars circa verticem calua eſt. Debilitatem nouae tenuis caluariae diu ſenſit puer, nudatum caput difficulter tolerans. Senſus vero et animi vires nihil damni pertulerunt, ita, ut poſtea legere didicerit. Tarſi et metatarſi extenſores, ſiue a dolore, ſiue a longo decubitu, debiliores redditi ſunt, ut minus commode ambulet ob flexores fortius agentes. Noſter puerum vidit, ſed poſtea nullus medicus aut chirurgus ipſi adfuit, haec igitur, ut parentes BERONIO epiſcopo, qui aegri curam habuit, retulerunt, nar-
p. 68. rantur. Subiicit aliud exemplum pueri ſexennis, cuius poſtquam variolas malignas perpeſſus fuerat, maxilla inferior carie periit, carnoſis partibus ante defluentibus, poſt aliquot vero ſeptimanas nouum os renatum eſt.

p. 69. II) *Fumi ſitne vis aliqua ad impediendos nocius frigoris in plantas effectus? quaerit* PET. HOG-
p. 70. STRÖM. Expertus eſt plantas quasdam frigoris impatientes, quas in horto colebat, noctes autumnales frigidas, incolumes pertuliſſe, fumo in vicinia illarum materiis, quae parum caloris diſtribuerent, excitato. Nov. 8. 1756. cum frigus vehemens eſſet, ciſtam, 6 plantulas piſorum americanorum quartam ulnae partem altas, continentem, in conclaue frigidum et parietibus tenuibus ſaltim clauſum detulit, fumum vero fungis betulae excitari curauit, cui per dimidiam horae expoſita piſa, incolumia manſerunt, ramus vero ramuſculus aeri frigido expoſitus paucis minutis periit. Hinc experimento alias coniecturas de hoc fumi uſu addit, qui utique inſignis eſſet, ſi doceri accuratius poſſit, tum ad plantas delicatiores commode ſeruandas, tum ad meſſes laetiores regionibus in quibus degit noſter, procreandas, ubi agricolae ſpes omnis duabus aut ad ſummum tribus noctibus aeſti-
p. 71. uis frigidis perit. Ceterum clima adeo beatum praedicat, ut ſatio cum meſſe intra 6 vel 8 ſeptimanas

peragan-

peragantur, terram vero fertilitate nulli vel feliciſſimae cedere.

12) Ex Diario academiae quaedam eduntur: 1) WIIKSTROEMII mathematum in Gymnaſio regio, quod Calmariae eſt, lectoris obſeruatio de maris eo in loco altitudine. 2) Ignoti cuiusdam oeconomi aduerſus inſectum, quod ſatis autumno prouenientibus obeſt, conſilia. 3) De praemiis ab academia 1756 diſtributis. Ceſſerunt duo ordinaria; BRANDTIO ob diſſertationem de ſalibus alcalinis, actis eius anni inſertam et IENNINGSIO equitum praefecto, ob furnos quibus metalla ex mineris liquantur, emendatos; extraordinarium EKEBERGIO, ob plures obſeruationes initineribus in Indiam orientalem inſtitutas et cum academia communicatas. p. 74.

Trimeſtre ſecundum.

1) *Suttonii inuentum aerem in nauibus renouandi explicat* P. WARGENTIN. Eo redit, ut ad focum, ubi cibi coquuntur tubi aptentur, nauem permeantes; hi enim tum caloris ope ab aere euacuantur, aerem impurum ex omnibus nauis partibus extrahunt. Inuentum inſigni ſanitatis nautarum commodo in anglicis et ſuecicis nauibus adhibetur: ut periculum exiguum quidem et quod facile euitari poteſt carbonum ardentium, qui aperturas tuborum intrare forte poſſent, penitus tollatur, academia Suecica ſuaſit, ut tubi clauſi, ſupra focum tranſeuntes, adhibeantur, in quibus aer calore expanſus eundem effectum praeſtabit. p. 81.

2) *Quae in methodis cataractam tollendi* St. YVESII, FERREINII, DAVIELII *commoda ſint vel incommoda* enumerat O. ACREL. In Yueſiana methodo laudat ſecuritatem, qua acus ad lentem dirigitur, item p. 94.

item quod acus et effectus eius ſpectari per pupillam poſſit, facile etiam lens etſi in partes abeat, deprimi, ipſaque lamina anterior capſulae cryſtallini lateraliter acus ope ſeparari; praeterea lens ſi ſatis compacta eſt, tuto infra humorem vitreum deprimitur, nullo metu, eam rurſus adſcenſuram. Sepimenta humoris vitrei minus etiam dilacerantur, quam in FERRENII methodo, lamina poſterior cryſtallini etiam lateraliter ſeparari poteſt, ipſaque operatio in oculis profundius intra orbitas ſitis, aut ſtrabismo laborantibus facilius inſtituitur, tutior etiam eſt, ſi pars lentis ſaltim opaca ſit aut compacta, quoniam locus ad quem dirigi debet acus, ſpectari poteſt. Lactea cataracta et aliae fluidae feliciter hac methodo tolluntur; lens autem depreſſa diſſoluitur, reſorbetur et
p. 97. plane ex oculo euaneſcit. Contra diſplicet Noſtro in YVESII methodo, quod albuginea, ob nexum ſuum cum neruis, facilius inflammationibus et doloribus ſubiecta ſit. Deinde lens facile diffringitur, pars eius per pupillam cameram anteriorem oculi intrat, aut margini pupillae adhaerens, illius contractionem luce aucta turbat, donec forte pars haec diſſoluatur,
p. 100. et quae ſimilia ſunt. Propria vero experientia ſuffultus refert, inter triginta coecos, quorum uterque oculus viſu carebat, vix octo fuiſſe cataracta vera cryſtallina ſimplice laborantes, quibus ſcilicet lens opaca et ſtatu naturali compactior fuerit; praeterea vix tribus inter triginta laminam anteriorem capſulae perſpicuam poſt indurationem lentis fuiſſe, reliquis lentem fuiſſe mollem gelatinoſam, aut cataractam aquoſam lacteam, laminam vero anteriorem capſulae cryſtalli opacam. Hos et in ipſa operatione patientiam deſideraſſe et curam, illa peracta, magis ſollicite inſtituendam, interdum etiam, ut coecus diſtincte videret, repetendam operationem fuiſſe. In his caſibus cryſtalli mollis aut reſolutae vix FERRENII methodo locum eſſe exiſtimat, Dauielianam vero optimam

optimam esse, nisi praxi illius impedimenta insuperabilia obstent. Casus autem plures recenset, in quibus YVESII methodum feliciter adhibuit. FERREINII methodus haec in primis commoda habet, p. 108.
quod lens non adeo facile rursus ascendere possit, item quod processus ciliares et iris non adeo facile disrumpantur, neque vasa vorticosa uveae laedantur. Deficit vero in cataractis mollibus et fluidis, quod FERREINIVS ipse, dum noster eum 1743 audiuit, fassus est. Firma etiam lens adscendere rursus ob succussus violentos potest, nullo amplius remedio. Neque anterior tunica capsulae crystalli hac methodo tam facile separatur. Monet ceteroquin molles et p. 110.
fluidas cataractas, quae vulgo immedicabiles censentur maximamque cataractarum partem efficiunt, operatione, si opus est, repetita tolli, visumque uni ad minimum oculo restitui. DAVIELII methodus hoc p. 111.
praestat, quod crystallus opaca cum capsula eius omnino ex oculo tollantur, sicque adscendere rursus non possit, minores etiam dolores coecus patiatur, si cornea sensu caret, etsi aliud docere videantur, quae aegri retulerunt.* Tuta etiam est haec methodus ab haemorrhagia et haemalopio, ipse humor aqueus, si turbidus sit, educi potest, post restituendus; tunica hyaloidea cum humore vitreo nec discerpitur, nec quidquam eius perit, nisi bulbus nimium prematur et humor vitreus ipse iam vitio laboret. Vsui est haec methodus in cataracta etiam immatura vel rectius molli. Neque negotium facessunt crystalli particulae residuae, cum omnes ex oculo eximantur. Incommodis vero laborat sequentibus: Saepius male cedit, quam methodi antiquiores. Postquam etiam compendia eius LA FAIIE monstrauit, subiecta est incommodis Yuesianae, inflammationi etc. Si lens grandior sit, pupillae vis infertur, quae figurae eius

* vid. Memoires de l'Acad. Royal de Chirurgie Edit. in 4. Tom. II. p. 572. Edit. in 8. Tom. VI. p. 322.

eius nocet ac mobilitati. Difficilius in oculis, profundius ſitis, aut a ſtrabismo trementibus adhibetur. In cataracta complicata, humore vitreo reſoluto, methodus haec maxime nocua eſt, duabus enim tertiis corneae apertis profluit aqueus humor, lens leni preſſione educitur, ſed vitreus humor ſequitur, irreparabili damno, ſiquidem cryſtalli vices ſuppleturus
p. 114. erat. In cataracta mixta, ubi tam lens, quam capſula opacae ſunt, lens vero mollis vel reſoluta eſt, plerumque capſula ſeparatim aperienda eſt, et lens exprimitur, humore vitreo, ut ante dictum eſt, plerumque ſequuturo; deinde educta lente reſiduae ſunt membranae, quae dum tentaculis extrahuntur, ſi alicubi proceſſibus ciliaribus aut circulo iridis adhaereant, turbare has partes fibrasque iridis motrices poſſunt, cuius rei periculum minus eſt in methodo Yueſiana, ubi adhaeſio membranarum, ſi
p. 117. qua eſt, ſpectari poteſt. Omnibus itaque comparatis methodum YVESII tanquam tutiorem et uniuerſaliorem prae reliquis commendare videtur, cum enim experientia teſte, lens depreſſa paulatim reſoluatur et euaneſcat, nouis artificiis, quibus eximitur ex oculo aut ſub humore vitreo occultatur, opus non videtur.

p. 118. 3) *De viribus medicis Gei riualis* experimenta edit PETR. ION BERGIVS. Pertinent illa ad radicem *Gei floribus nutantibus, fructu oblongo, ariſtis plumoſis.* LINN. Sp. Pl. 501, 3. ante florendi tempus collectam KALMIVS retulit illam in America ſeptentrionali contra febres adhiberi. Noſter igitur operae pretium eſſe facturum credidit, ſi plantam in pratis Sueciae humidis vulgarem tentaret. Euentus caſuum 31 prolixius narrat, ex quibus haec generatim colligit.
p. 137. Non ubique geum riuale aduerſus febres prodeſt. Interdum nullus fere eius effectus fuit, etiam cum quinque eius unciae adſumtae fuiſſent, interdum non ſufficit, ſed auxilio corticis Peruuiani in ſupplementum

mentum opus fuit. Saepius vero etiam aegros a febre liberauit, in primis vere, ubi febres plerumque mitiores sunt. Sumitur autem nullo omnino periculo, nisi, quod in usu eius, ut in medicamentis omnibus, cautione opus est. Ita solum adsumtum febrem p. 122.
aliquando fugauit, sed obstructionum et abdominis intumescentis caussa extitit. Ipsum vero geum abdominis aut pedum tumores, cum corpori debite praeparato datur, non producere, exempla illorum probant, qui cum tumoribus his laborarent, usu gei ab illis liberati sunt. Neque vero geum solum sem- p. 138.
per adhibuit, sed plerumque alia admiscuit, in primis tartarum solubilem, ubi nunquam, neque a magna dosi mala nata sunt. Ita feminae annor. 28, quae p. 123.
per octiduum tertiana laborauerat hoc praescripsit. ℞. Pulu. rad gei riual. Vnc. II β Tart. solub. Dr. IIII. Sal Anglic. Dr VI. M. f. Pulu. cuius drachmam singulis horis dierum, a febre liberarum, sumsit. Remedium frigus febrile paulisper imminuit, in calore nihil mutauit; neque magis profuit aequalis quantitas post assumta, ut cortex febrifugus in auxilium vocandus fuerit. Optimus vero effectus fuit extracti p. 130.
radicis; ita Extr. Gei riual. Vnc. I β Tartari solub. Dr. III. Rhei el. Dr. I. febrem fugauit; profuit vero etiam extractum aduersus diarrhoeas et uteri haemorrhagias atque haemorrhoides abdominis item dolores; ut nostro iudice in officinis roborantis et adstringentis titulo seruari Geum mereatur.

4) *Obseruationes de Loxia linea alarum duplici al* p. 139.
ba Faun. Su. 176 profert AND. SCHOENBERG, ANDERSSON. Eo potissimum redeunt, auium plumas rubras in flauas mutari, non quod priores decidant, sed quod nouum colorem adipiscantur. Suspicatur rubras aues pullos esse, qui nondum primum aetatis annum expleuerint. Aues in america septentrionali reperiuntur; in Europa nullibi extra Sueciam

et

et Norwegiam. Seminibus ſorbi aucupariae tanta auiditate veſcuntur, ut non moueantur hominum praeſentia et facillime capi tunc poſſint.

p. 143. 5) *Apoplexiam, cuius cauſſa collare anguſtius extitit* deſcribit P. ZETZELL. Accidit ſtudioſo, ut dum die calida conis luderet, ſenſus et motus expers in terram concideret, ſed collari, quod anguſtius iuſto erat, reſoluto, vena ſecta et cura idonea adhibita, reſtitutus eſt. Memorabile nobis videtur et ad hiſtoriam animae pertinens, quod cum primum ad ſe redire coepit, verba protulerit, ſupplementum ſermonis ſemi perfecti conſtituentia, quem, dum cadebat, inceperat. ZETZELLIVS phoenomena ex notis principiis explicat, additis monitis, de noxa veſtimentorum anguſtiorum.

p. 148. 6) *Methodum computandi inter uſurium et, quae ad ſortes ſtatis temporibus ſoluendas pertinent*, exhibet NIC SCHENMARK.

p. 162. 7) MELLINI *obſeruata circa agriculturam in Bothnia occidentali in compendio eduntur.*

Trimeſtre tertium:

p. 165. 1) *De climatum differentia agit* P. WARGENTIN.

p. 177. 2) *Capturam Phocae in Bothnia Orientali deſcribit* IO. DAV. CNEIFF. in primis itinera, quae ad capienda animalia, magno cum Venatorum periculo per glaciem ſuſcipiuntur.

p. 194. 3) *Animaduerſiones ſcripto praecedenti addit* I. C. Oſtendere conatur itinera illa, de quibus diximus, reipublicae utilia eſſe, etſi exiguum et fere nullum ſit emolumentum, quod ipſi venatores ob impenſas neceſſarias ex illis habent. 4) Ex-

4) *Experimenta de variolis inſitione applicatis* edit DAV. SCHVLTZ M. D. Vulneri indidit tria fila, quorum quoduis pure ex aegro varioloſo deſumto foetum, imo ex alio loco allatum erat, variolae inde natae ſunt benignae, et experimentum bene ceſſit, captum vero eſt in puellis tribus. Vſus eſt, ut oſtendatur, nullo periculo plura fila adhiberi ad variolas certius prouocandas, neque puris diuerſi generis mixturam obeſſe. p. 197.

5) *Terebram, iis quae infra ſuperficiem terrae ſita ſunt, examinandis idoneam* deſcribit PATRICH ALSTROEMER. Magnitudine fere ſola differt a metallica, qualem Cl. TRIEWALD in Com. Acad. ad ann. 1740. trim. 1 deſcripſit. Haec vero minor agricolis imprimis commendatur, ut agri ſui conditiones certius noſcant. p. 199.

6) *De colore coeruleo obtinendo ex culmis melampyri* (Flor. Su. 511) experimenta edit AXEL FR. CRONSTEDT. Culmi plantae huius marceſcentes, adeoque primum putrefactionis gradum ſubeuntes et ipſi coeruleſcunt, et aquam, in qua coquuntur et exprimuntur, colore coeruleo tingunt, acetum vel ſpiritum vitrioli absque mutatione tolerante, item alcalicorum fixorum lixiuia, ſi frigida admiſceantur, cocta vero cum illis tinctura purpuraſcit. Ceterum, tinctura eo modo tractata, quam tinctores *cupam* (*die Kuepe*) vocant, ubi pigmento indico, ex herba Anil educto, utuntur, ſimilia phoenomena non edit; nec enim flaueſcit ſuperficies, nec ſpuma coerulea agitatur. Haec vero narrat Noſter ſaltim, ut alios excitet, qui in hoc pigmentum accuratius inquirant. p. 203.

7) *Obſeruata meteorologica Vpſalienſia anni* 1755 in compendio exhibet BEN. FERNER. p. 208.

p. 216. 8) *Problematum mathematicorum ſolutiones particulares interdum praeſtare generalibus* exemplo illuſtrat SAM. KLINGENSTIERNA.

p. 218. 9) *Theorema de lunulis quibusdam ellipticis quadrabilibus demonſtrat* PET. LEHNBERG.

p. 222. 10) *Notabilem mutationem ſuperficiei terreſtris in Finnia* narrat SOREN ABILDGAARD. Ad latus viae regiae prope Aboam et Wiborgam montes vidit, qui vel ruinam paulatim adhuc perpaterentur, vel iam eſſent comminuti. Conſiſtunt ex ſpecie ſpathi rudis (*Feldtſpadt*) quam Sueci *Sielffrät-ſten*, quaſi lapidem, qui ſe ipſum deſtruit, appellant. Is in cu-
p. 224. bos, ex lamellis conſtantes, diſſilit. Noſtro igitur vero ſimile eſt, multo plures olim montes ibi fuiſſe, ipſas vero planities adiacentes frugiferas ex ruinis montium natas, quae lacus expleuerint.

p. 226. 11) *Animaduerſiones ſcripto praecedenti addit* DAN. TILAS. Monet lapidis, de quo dictum fuit, fruſta minora paulatim ſaltim comminui, et his veluti ruinis montes, ex eo caeteroquin ſatis firmo conſtantes, in ſuperficie tegi, ut totalis illa montium deſtructio, quam ABILDGAARDT credidit, locum habere non videatur. Ceterum de firmitate lapidum, quibus plures montium tractus in Suecia et Norwegia conſtant, et quid lapidum natura ad figuram magnitudinemque iugorum conferat, egregia multa TILAS hic ex obſeruationibus ſuis edit.

p. 234. 12) *Os brachii viro, dum pilam iaciebat, fractum* narrat I. G. SIEVERT. Fractura ad extremitatem inferiorem oſſis contigit viro annorum viginti octo, ceterum ſano, ut nulla ſuſpicio cariei latentis fuerit, feliciter vero curata eſt.

13) *Cul-*

13) *Culturam arboris Caffee Surinamenſem* deſcribit 10. SILANDER. Orditur a deſcriptione botanica; ſeritur planta in regiones, ex quibus ſyluae igne extirpantur, agri, in partes diuiſi, foſſis circumdantur, plantae ſibi relictae in agro bono ad pedum quatuordecim vel ſedecim altitudinem excreſcunt, ramosque late diffundunt, decennes ſenſim pereunt et intra decimum ſextum et vigeſimum annum intereunt; Noſter praefert illis, quae ut trunco firmo et ventis reſiſtente excreſcerent, cultura effecit, eaedem copioſiores fructus in ramis denſioribus ferunt, et antiquiſſimae illarum in hac regione octodecim annorum ita adhuc comparatae ſunt, ut ſpes ſit triginta vel quadraginta annos victuras. Fructus prima vice matureſcunt Aprili et Maio, ſed quidam etiam Auguſto; ſecunda vice Octobri et Nouembri, tunc vero fructus parciores ſunt. Iuuenum arborum ſemina maiora ſunt, adultorum minora et melioris ſaporis. Baccae primum in ſole ſiccantur, deinde in aedificiis in hunc uſum conſtructis, ubi quotidie mouendae ſunt, ne nigreſcant et corrumpantur; deinde cylindro iuxta longitudinem ſulcato, ſupra diſcum itidem ſulcatum circum ducto, baccae ſulcis iniectae aperiuntur et pulpa a ſeminibus ſeparatur, membrana vero a ſeminibus contuſione in mortariis ligneis ſeparatur agitatione aeris auferenda, ita praeparata ſemina vaſis non nimis confeſtim includuntur. p. 237. p. 242

Trimeſtre quartum:

1) *De Sueciae Climate* diſſerit P. WARGENTIN. Animus ei eſt refellere exterorum praeiudicia de nimio frigoris in Suecia rigore. Vtitur vero obſeruationibus thermometricis nouendecim annorum Vpſaliae inſtitutis, ex quibus modo, quem hic explicare nimis longum eſſet, medium calorem aut medium frigus cuiusque menſis eruit. Gradus ſunt thermo- p. 245.

metri Sueuici, parum a Reaumuriano differentis, niſi quod diſtantia inter terminos congelationis et ebullitionis Sueci in centum partes, REAVMVRIVS in octoaginta diuidant. Ita oſtendit calorem aeſtatis Sueciae, nihil calori auſtralium regionum cedere, frigus Suecicum contra vix harum frigus ſuperare; etſi
p. 259. calor Sueciae breuior ſit, frigus diuturnius. Maximum frigus Holmiae obſeruatum fuit Febr. 21. 1751; gr. 31. ſtatim vero liqueſcere coepit glacies. Vpſaliae frigus maximum fuit 1754, Ian. 28. grad 27;
p. 260. paucarum ſaltim horarum calor maximus Holmiae 1752; Iul. 3. gr. 33.

p. 263. 2) *Parochia Näsby in Gothia orientali* deſcribitur ab eius Paſtore IO. HEDERSTRÖM. Inter alia catalogum plantarum, ibi creſcentium, legimus. Inter
p. 279. medicinas, bobus dari ſolitas, et hanc animaduverti-
p. 288. mus: Vaccae, ſi taurum non appetit, extremum caudae leporinae datur, certo, ut experimenta repetita teſtari Noſter adſerit, poſtero die effectu. Col-
p. 298. legii medici miſſa ad eccleſias omnes, de variis morbis tollendis, conſilia etiam huic parochiae inſignia fuiſſe, gratus Noſter praedicat.

p. 304. 3) *Tractationis de hirudinibus primam partem* edit THORBERN BERGMAN, qua ſex illarum ſpecies enumerat et breuiter deſcribit. En illarum nomina
p. 308. ſpecifica, additis triuialibus: 1) *Medicinalis* depreſſa, nigra, lineis octo dorſalibus flauis, ſubtus flauo nigra. Haec maxima eſt, extenſa fere quinque digi-
p. 309. tos aequans. 2) *Sanguiſuga* depreſſiuſcula, nigra
p. 310. margine ſubtusque flauo notata. 3) Hirudo *piſcium*
p. 311. teres, fuſca, albo maculata Faun. Su. 1275. 4) *Octoculata* depreſſa, fuſca, punctis nigris, octo ſupra os. Puncta fere pro oculis Noſter habet, nondum vero in omnibus hirudinum ſpeciebus reperit. 5) *Binoculata* depreſſa, fuſca, punctis duobus nigris ſupra os.

6) *Sexocu-*

6) *Sexoculata*, depreſſa, albida ordinibus duobus dorſalibus tuberculorum pallidorum nigris lineis connexorum. Obitum animalium horum hermaphroditorum nunquam vidit, etſi plura, quorum numerus etiam auctus eſt, ſaepius aſſeruauerit. Species depictae ſiſtuntur. p. 313.

4) *Ad* D. LEWIS *diſſertationem de metallo, platina di Pinto, in Transact. Philoſoph.* 1754 *reperiundam animaduerſiones* edit H. T. SCHEFFER. Totus eſt in examinandis grauitatibus ſpecificis mixturarum, ex nouo hoc metallo et aliis factarum, quales LEWIS experimentis reperit. Illas ipſe LEWIS cum calculo comparauit, ſed formula uſus eſt falſa, rationem ingredientium per volumina exprimente, cum dubium nullum ſit, rationem hanc per pondera eſſe definitam. Veram igitur formulam Noſter adhibet, et in LEWISII experimentis interdum maiorem, interdum minorem mixturae grauitatem ſpecificam reperit, quam calculus indicat, neutiquam tamen adeo ab hoc calculo, ut ab Angli falſo abludentem. Dum diſcriminis rationem reddere conatur, varia elegantia profert, e. g. plus quam centum experimentis didiciſſe ſe, quod metalla pondus ſuum ea ratione augeant, qua phlogiſton ipſis aufertur, contra dum phlogiſton ipſis unitur, pondus illorum decreſcere. Hinc paradoxon explicat, quod platina metallum ferro contuſum, mixturam dediſſe dicatur, voluminis eo, quod ferrum ſolum occupabat, minoris. Ferrum enim absque phlogiſti additione fundi non poſſe, quin multum de proprio phlogiſto perdat, ita vero pondus eius augeri, ut aequale pondus minori ſpatio contineatur. Platinae grauitatem ſpecificam incertam adhuc Noſter pronunciat, cum enim non niſi in particulis exiguis irregularibus habeatur et ſolum commode fundi non poſſit, ab aere in cauitatibus ſuperficiei externae fruſtulorum horum undoſo, aquam p. 314. p. 321. p. 318.

arceri, ut examen hydroſtaticum ſatis accurate ſuſci-
p. 324. pi nequeat. Grauius tamen auro pronunciat. Non miramur, dubium nullum ipſi mouiſſe, quae contra ſuppoſitum omnium horum calculorum experimentis recentiorum edocti ſumus, ſcilicet volumen mixturae non ſemper aequari ſummae voluminum ingredientium.*

II.

Obſeruationum medicinalium faſciculus. Proſtat Oxonii, apud Fletſcher et Prince etc. 4to mai. pl. 3.

Obſeruationum harum, ad medicinam clinicam praecipue facientium, faſciculus a Viro, nobis quidem ignoto, ſed uti ex nonnullis obſeruationibus colligere licet, per viginti iam annos in obſeruandis morbis ſollicite verſante, niſi fallimur, ante hos tres annos editus fuit. Omnes vero res egregia quadam perſpicuitate cum breuitate coniuncta propoſitas deprehendimus; noſtrum itaque erit, pauca hinc inde ſpeciminis loco decerpere et cum lectoribus noſtris communicare.

p. 1. Obſeruatio prima ſiſtit thoracis et pericardii hydropem, cum marcore cordis et empyemate. In iuuene quindecim annorum pleuritide correpto, pulſus pro ratione febris et doloris imbecillior erat, et ſanguis, ex brachio miſſus, pleuritici ſanguinis ſpeciem non referebat, neque cruſta obductus inflammatoria, neque ſolutus, neque ſeroſus ut in hydropicis. In venae ſectione, antiphlogiſticis, aluum ſoluentibus et epiſpaſticis medendi methodus poſita erat, obiit tamen aeger die decimo morbi. Diſſecto cadauere, in ſiniſtra thoracis parte pulmo ſuperius adhaerebat, ſemi libra aquae extrauaſata, in dextra parte abſceſſus li-

bram

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. p. 648.

bram puris continens, inter pulmones et inferiores coſtas poſitus erat, pulmonis ſubſtantia de reliquo ſana; pericardium vero, ultra modum diſtentum craſſumque aquae purulentae duas libras continebat, cor ipſum flaccidum erat, marcore confectum, ob praeternaturalem itaque cordis ſtatum ſymptomata, pleuriticis conſueta, non, apparebant.

Obſeruatio ſecunda ad quintam abſceſſus pulmonalis, per vomicam ruptam, felices quasdam recenſet curationes; ſexta autem iuuenem ſiſtit cui poſt pleuritidem empyema relictum fuit, quod fonticulo, per cauterium inter ſextam et quintam coſtam admoto, perforatis inde muſculis intercoſtalibus et pleura, et effluxu materiae purulentae foetidiſſimae conceſſo, depuratum fuit, quo facto aeger conualuit. In ſeptima obſeruatione perforatio thoracis ſcalpello facta, ad materiam purulentam educendam utilis fuit, nunquam intermittenda, ſi materiam purulentam in thorace fluctuare ex certiſſimis ſignis cognoſcas. p. 6.

Obſeruatio octaua ptyaliſmum ſpontaneum per tinaces ſaepe morbos ſoluere, exemplo vetulae oſtenditur, quae octuageſimo ſexto aetatis anno bis peripneumonia correpta euaſit quidem, in dyſpnoeam tamen moleſtam incidit, quae ſputo largiore ſuperueniente ceſſauit. Tumor poſtea in latere ſiniſtro capitis cum atroci dolore oriebatur, qui tamen velamento ſpiſſiore capiti obuoluto, et uſu gargariſmatum leniorum, perpetuo ferme ſaliuae profluuio, ad nonageſimum ſecundum aetatis annum durante, diſcutiebatur, foemina praeterea graui incommodo non vexata. p. 7.

Obſeruatio nona de haemorrhagiis ſiſtendis in genere diſſerit; ſtypticis haec raro cedere aſſerit Noſter, et febriculae cum haemorrhagia accedentis rationem habendam eſſe monet, haec venae ſectione et cortice peruuiano vix ſupprimitur, laudat tamen Noſter uſum remediorum ex ſaturno praeparato- p. 8.

rum, quicquid enim alii circa horum medicamentorum uſum obiiciant, languidiorem tamen circulum ſanguinis, ad haemorrhagiam ſiſtendam ſumme neceſſarium his induci, nemo negare poterit. Abſtinendum vero ab his remediis eſt, ſi ſpaſmus adeſt, ſi febricula urget, illa prius ſupprimenda erit, ne ſanguinis retenti copia in nobile aliquod viſcus conſiciatur.

p. 10. Obſeruatio decima ſcroti renouationem poſt necroſin a cauſa venerea inductam, exemplo illuſtrat: undecima calculum biliarium per aluum ſecedentem deſcribit: duodecima in muliere ſeptuagenaria hemiplegiam obortam, febre tertiana ſuperueniente ſolutam et hanc tandem cortice peruuiano aliisque neruinis v. c. radice ſerpentariae virginianae depulſam fuiſſe.

p. 12. Obſeruatio decima tertia ſiſtit puerperam delicatulam, quae ex refrigerio ſuppreſſionem lochiorum paſſa erat, febre vero intermittente tertiana ſuperueniente, dirisque ſymptomatibus aegram excruciante, poſt hauſtum ex ſale abſinthii et limonum ſucco, addito croco et caſtoreo, tandem cortice peruuiano et martialibus aliisque uterinis medicamentis, febris profligata fuit, redeunte ſimul lochiorum fluxu. Obſeruatio decima quarta ſectionem cadaueris virilis ſiſtit, in quo inteſtinum rectum in veſicam perfontum fuit, qua occaſione etiam in obſeruatione decima quinta et ſexta de abſceſſibus ad renes et veſicam, et obſeruatione decima ſeptima de abſceſſibus ad veſicam et ventriculum collectis diſſeritur.

III.

Stirpium praecipuarum littoris et agri Nicaeenſis enumeratio methodica cum Elencho aliquot animalium eiusdem maris a CAROLO ALLIONIO, Phil. et Med. Doct. Taurinenſi Inſt. Sc. Bonon. et Acad. Reg. Matrit. Sod. atque Societ. Monſp. Goetting. et Florent. etc. Pariſiis, apud Claud. Ioh. Baptiſt. Bauche. 1757. 8. mai. plag. 15½.

Qui nunc in medicina facienda totus ferme occupatus eſt, Cl. ALLIONIVS iunioris aetatis vires in culturam ſcientiae et hiſtoriae naturalis, medicis adeo neceſſariam, impendit, inde non tantum Taurinenſem agrum perluſtrauit, ſed alpium vicinarum praerupta Saxa et niuoſa iuga multoties aſcendit, et inſignem corporum naturalium copiam coegit. Huius rei teſtimonium eſt rariorum pedemontii ſtirpium ſpecimen primum, * et mox a nobis laudanda oryctographia pedemontana. In his vero littoris et agri Nicaeenſis ſtirpibus colligendis, Cl. Auctor uſus eſt opera IOHANNIS BAPTISTAE GIVDICE, medici nicaeenſis, qui, cum antehac ſaepius Noſtro in itineribus botanicis ſocium ſe praebuiſſet, poſtquam Nicaeam diſceſſerat, quotannis exſiccatarum et recentium plantarum faſciculos, nec non ſemina, in horto colenda, communicauit. Dolendum certe eſt, tam diligentem naturae indagatorem Iaueni peripneumonia correptum diem obiiſſe ſupremum. Praeſens igitur opuſculum eſt fructus laborum quatuor annorum, Cl. Auctor enim non tantum faſciculos plantarum olim communicatos, ſed omnem apparatum botanicum Cl. GIVDICE ſtudioſe perquiſiuit, cum praeſtantiſſimis botanicorum ſcriptis comparauit, et ea, qua fieri potuit, perfectione edidit. Addi-

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. Part. IV. p. 701.

dit in fine plures plantas ſubmarinas, quas Cl. VERANI ex littore vicino collegit, ſubiunctis quibusdam animalibus marinis. In plantis vero diſponendis elegit methodum LVDWIGII noſtri, quam in definitionibus generum plantarum propoſuit, in quibusdam tamen ab ea receſſit, v. c. relatiuas, quae obſexum plantarum diſtinguendae erant, hac diſtinctione neglecta, ad plantas perfectas retulit. In ſpecierum nominibus ſynonymicis enarrandis, ſelectum obſeruauit, BAVHINORVM et TOVRNEFORTII nomina non neglexit, attamen recentiores quoque ſcriptores, plantarum ſpecies accuratius definientes, citauit, ipſe vero non tantum multis ſpeciebus ſuccinctos characteres addidit, ſed praeterea non nullas nouas accuratius deſcripſit. Cum vero ex iis, quae hactenus propoſuimus, idea opuſculi noſtri ſatis pateat, addamus adhuc nouas quasdam ſpecies, vel circa cognitas factas obſeruationes, ſelectis praecipuis characteribus ex deſcriptionibus a Cl. Auctore traditis.

p. 4. *Gallium folii ſenis rigidis, obſcure virentibus, floribus purpuraſcentibus e ſummo caule prodeuntibus.* Gallium hoc Nicaeenſe caules ſtriatos quadrangulos, humos, palmares, folia in ſummitate longa ſpinula armata, et pedunculos in ſummo caule ex alis ramoſos, biſloros et triſloros obtinet.

p. 40. Valerianellam ſemine ſtellato ab aruenſi ſerotina, eodem modo, ut creticam veſicariam, diſtinguendam et tres ſpecies conſtituendas eſſe, noſter contra LINNAEVM affirmat.

p. 44. *Galeopſis caule piloſo calycibus labio corollae ſuperiore longioribus* LINNAEI Sp. p. 580. Studioſe deſcribitur, quo pateat deſcriptionem vere conuenire cum *Ocymaſtro Valentino* CLVSII Hiſt. 2. p. 42. calycem tamen, ut LINNAEVS in nomine habet, labio ſuperiore corollae longiorem non eſſe, ſed verum characterem eſſentialem huius ſpeciei in labii ſuperioris

rioris corollae in duo veluti cornua diuaricatione consistere.

Molucca, quae Moluccella calycibus quinquefidis, corollis calyce longioribus LINNAEI Sp. p. 587 in rupibus ad vias crescens, rarior planta est, a nostro studiose descripta. Fruticulus per dichotomiam valde ramosus est, rami toti floriferi in verticillis; folia breuiter petiolata, oualia, neruosa, breuiter pilosa; calyces decemstriati, tubulati, patuli, glabri, striis quinque maioribus in spinas terminatis; galea multum fornicata, villosa, barba trifida, lateralibus segmentis acutis, medio cordato. p. 51.

Scabiosa corollulis quinquifidis, ramosa, humilis, foliis lanceolatis integerrimis. Caulis ramosissimus, semipalmaris; rami unico flore terminati, calyx quinquefolius, flosculos saepe quatuor continens, semina sericea membrana coronata. Haec copiose in aruis crescit. Additur alia scabiosa alopecuroides, quae monstrosa est. p. 65.

Sonchus foliis omnibus integris, denticulato spinosis ramis, unifloris semiflosculis, quinquedentatis. Caulis bicubitalis, procumbens, postea inflexus et erectus, laeuissimus, fistulosus; folia caulina alterna amplexicaulia, calyx conicus, conniuens, squamae lanceolatae, imbricatae trium ordinum; flos magnus luteus summo mane tantum apertus; semen nigrum parum, pappo tenui longissimo coronatum. p. 85.

Lactuca ramosissima, pene lignosa, foliis radicalibus pinnatifidis, caulinis lanceolatis. Radix dura fusca, caulis vix palmaris, folia glabra, rami patentes, ascendendo minores, flores parui, sessiles, lutei extus purpurascentes. Inter saxa collium nicaeensium crescit. p. 87.

Andryalae quidem duas species affert, unam *foliis integris*, alteram *foliis dentato hastatis*, facile tamen consentit, has coniungendas esse, cum habitus plantae ex mollissimo et luteolo tomento satis conuenire videatur, p. 88.

deatur, quam quidem rem, nos in planta bicubitali et altiori, ſub dupla enim altitudine in hortis noſtris creſcit, quoque obſeruauimus.

p. 130. *Trifolium ſpicis globoſis, calycibus ſetis rigidis obuallatis, caule erecto* LINNAEI Sp. pl. 768. a Nostro quodammodo deſcribitur, quo ab eo diſtingui poſſit alia ſpecies quam nouam iudicat. *Trifolium pedunculis nudis, caule erecto, calycum ſedis rigidis inaequalibus, floribus calyce longioribus.* Folia oblongo ouata ſubtiliſſime denticulata, capitulo compreſſo rotundo, quod ad maturitatem accedens, ouatum fit, calycibus patentibus; ex ſetis una eſt longiſſima, proxima duae minores, reliquae minimae.

p. 132. Simili prorſus ratione *Trifolium capitulis ſeſſilibus ouatis, calycibus villoſis inaequalibus.* LINNAEI Sp. pl. p. 770. deſcribitur, quo noua ſpecies ab illa diuerſa melius cognoſcatur; ſcilicet *Trifolium capitulis ſeſſilibus, foliis longe petiolatis, ſetis rigidis, non reflexis, flore longioribus.* Planta procumbens, rami filiformes, folia ſemper ouata, cinerei coloris, utrinque neruoſa; flores albi, dentibus calycinis breuiores, quae ſetae lanceolatae lineares inermes ſunt. Non tantum vero his characteribus, ſed et habitu etiam tenuiore a praecedenti ſpecie differt.

p. 145. *Lathyrus pedunculis unifloris, cirrhis diphyllis foliis elliptico-acuminatis, caulibus utrinque membranaceis.* Caules ſtriati triangulares, folia glabra in ſuperficie neruoſo-ſtriata, cirrhi tres interdum quinque, duobus pinnatis, legumen ſecuriforme. Omittimus varias de Limonii, Helianthemi et Bupleuri ſpecibus obſeruationes, et ſub finem nouam quandam Delphinii ſpeciem ſubiungimus.

p. 200. *Delphinium nectariis diphyllis, floribus ſolitariis, foliis multipartitis, foliolis lineari acuminatis.* Hanc plantam in terra puteolana reperit Cl. GIVDICI, cubitam alta eſt, a caule uſque ad ramorum ortum foliis denſe congeſtis, tripartita folia, laciniis nunc trifidis

nunc

nunc bifidis varie ſectis, a *Conſolida regali, latifolia, paruo flore* C. B. P. 74. foliolis linearibus et profunde ſectis, denſeque poſitis differre dicit Noſter, dubitamus tamen an vere noua ſit ſpecies, cum in Delphinii ſpeciebus etiam in horto cultis magnam ratione amplitudinis et anguſtiae foliorum ſemper inuenerimus varietatem.

IV.

Oryctographiae pedemontanae ſpecimen, exhibens corpora foſſilia terrae aduentitia: Auctore CAROLO ALLIONIO, Ph. et Med. Doct. e Societate Phyſico Botanica Florentina et Academia Regia Matritenſi. Pariſiis, ad ripam Auguſtinorum, apud Claudium Ioannem Baptiſtam Bauche. 1757. 8. pl. 6.

Pedemontium undique collibus montibusque cingitur: verſus ſeptentrionem, meridiem et occidentem ampliſſimam Alpium inuenies catenam, quae ab Helueticis producta, in Monregalenſes et Genuenſes Alpes terminatur. Inter meridiem et orientem, in Auguſtae Taurinorum viciniis, colles naſcuntur, qui in ſat magnam latitudinem ſeſe extendentes, in Monregalenſes, Sauonenſes, Genuenſes et Dertonenſes uſque montes continuant, et comprehendunt Taurinenſis prouinciae partem, Albae Pompeiae, Montis-regalis, Alexandriae et Dertonae prouincias, Montem-ferratum, et comitatum Aſtenſem. Ingrediuntur harum alpium compoſitionem ſchiſtus, quartzum, ſpathum, talcum, mica, amianthus, lapis calcareus, minerarumque, mercurium et ſtannum ſi exceperis, omne genus. Colles vero conſtituuntur ex arenis, ſabulis, terris, argillis, cretis, margis, gypſo, lithantrace, ſulphure, ſilicibus et ſaxis calcareis arenoſisque, quorum fere omnia in horizon-

horizontalibus aut oblique inclinatis ſtratis effodiuntur. Quamuis in cuiuscunque materiei ſtratis petrefacta occurrant, frequentiſſime tamen inueniri ſolent in terra ſabuloſa prouinciae Aſtenſis, in qua valles d'Andone dicta ex meris conchyliis terraque ſabuloſa conflata videtur.

Ad ductum WALLERII foſſilia haec ordinanda putauit Cl. Auctor. Inter phytolithos variorum foliorum ectypi in topho, marga, ochra reperiuntur;
p. 4. lithoxyla occurrunt frequentiſſime, quorum prae ceteris allegari meretur truncus arboris in dura argilla ſepultus, qui partim in durum ſilicem ſcintillantem, partim in nitidum lithantracem mutatus ex parte adhuc raſilem ligni exhibet ſubſtantiam. Parum mutata ligni fruſta in gypſi ſtratis circa oppidum la Mora inueniuntur, ubi et nucis iuglandis ochra terreſtrium ſpecimen effoſſum fuit. Petrificata teſtacea et animalia prius, quam recenſeat, breuibus quaedam de ſtratis, quibus illa continentur, diſputat. Sic conchitas in lithantrace, gypſo, achate, marmore, ſelenite, argilla, arena, creta inuentos affirmat, eosque vel hisce materiis repletos, vel iis tantum retento naturali colore ineſſe, monet.

p. 11. In colle vici Scioltze collegit conchylia varii generis, quae coeruleo colore erant imbuta, cuius coloris, in flauum aliquantulum vergentis, denticulum animalis cuiusdam inuenit, quem, ut et dicta conchylia, a ſucco Turcoſarum penetratum, autumauit. Nec tamen igne diffunditur color iſte in conchyliis, ſed potius euaneſcit. Adfert tunc coralliorum foſſilium genera, quae tamen, quod mirum, in tanta conchyliorum ubertate, raro inueniri aſſerit. Nec echinitae deſunt, quamuis et rari ſint, et ob materiae, ectypis formandis aptae, defectum, non ſatis elegantes. Balani foſſiles ab Auctoribus olim inter rariſſima habiti, nullibi terrarum copioſius occurrunt quam in Pedemontii collibus; plures ergo eorum

rum ſpecies, pro magnitudine diuerſas, collegit et deſcripſit. Pholades nunquam in petram mutatos reperiri et ARGENVILLE et GESNERVS affirmant. Eorum vero foſſilium plura ſpecimina Cl. Auctor reperit. Nec tamen inuenti gloriam ſibi ſumit, cum iam a MONTIO eorum mentio facta fuerit. Differunt hi pholades ab omnibus cognitis eo, quod non in ſaxis deliteſcant, ſed craſſorum conchyliorum inhabitent teſtas. Patellitarum, conchilitarum, pectinitarum et pectunculitarum, terebratularum, muſculitarum et pinnitarum ſpecies recenſet, quibus nulla memoratu digna inſunt. p. 26.

Excipit has deſcriptiones oſtreitarum catalogus, in quorum numero ſub fine inuenitur, rariſſimum illud oſtreum polyleptoginglymon dictum, cuius inſignis copia effoditur in prouinciae Aſtenſis valle d'Andona, ubi ſtrata, hocce oſtreo referta, ad plura milliaria ſeſe extendunt. p. 39.

Tubulitarum omne genus occurrit, nec belemnitae prorſus deficiunt, quamquam tantum in unico loco, prope le Sambucceo, reperiantur, lapidi ſuillo inſperſi. Ammonites eodem in loco multi effodiuntur, et in arena Aſtenſi cornua ammonis vera non petrifacta inuenit, eodem modo ut PLANCVS in arena Ariminenſi. Nautilitem unicum, cuius ampliores concamerationes a terra ſabuloſa, minores a ſelenite replentur, in viciniis Auguſtae Taurinorum detexit. p. 47.

Nummularios lapides ſiue Helicitas Pedemontium prorſus non offert. p. 58.

Cochlites, trochites, neritites, buccinites, ſtrombites, turbinites, muricites, alatites, purpurites, volutites, cylindrites, globoſites, porcellanites ubiuis occurrunt, plus minus frequentes. Tres opercularum ſpecies deſcribit, quas in Dertonenſibus collibus copioſe inueniri affirmat. p. 77.

Piſcium impreſſiones huc uſque nullas detegere potuit. Gloſſopetrae, cuſpidatae, ſubulatae, triangulares, ora laeui aut ſerrata, et conicae, in collibus di Monbello et Dertonenſi-

tonenſibus, nec tamen frequentes, effodiuntur. In oppido, Sinay dicto, repertum fuit integrum elephantis ſceleton, rariſſimis omnino petrefactis annumerandum. Poſſidet Cl. Auctor quoque ceruinum cornu, in argillae ſtrato, collis di Capagnole, inuentum. Sub finem addit Cl. Auctor indicem locorum praecipuorum, e quibus corpora marina foſſilia collecta fuerunt.

p. 82.

V.

FRIDERICI AVGVSTI CARTHEVSER, Doctoris medici, Acad. Elect. Scient. utilium, quae Erfordiae eſt, Socii ordinarii, Rudimenta Hydrologiae ſyſtematicae. Francofurti ad Viadrum, apud Paulum Sigismundum Gaebler, 1758. 8. pl. 6.

A variis noſtri aeui ſcriptoribus aſſumtae opinioni ſubſcribere Cl. Auctor nullus dubitauit, qui aquas in claſſes, ordines et genera, ob ipſarum differentiam, redigere, et ita regnum ſic dictum aqueum conſtituere tentarunt. WALLERII exemplo incitatus, quamuis magni aeſtimet eius hydrologiam, attamen cum in ea nonnullas aquas non aptis locis repoſitas putet, hoc ſchediasma publici iuris facere ſecum conſtituit, in quo ſolas aquas, non uti WALLERIVS fluida quaeuis artificialia, in aptam diſpoſuit methodum, celebriorum ex recentioribus, qui de aquis ſcripſerunt, libros in uſum adhibens. Aqua pura in toto naturae ambitu non occurrit, ſed ubique heterogeneis particulis, ſemper tamen mineralibus remixta deprehenditur, quod experientiis hydroſtaticis, ſapore aliisque qualitatibus cognoſcitur. Nec tamen pro vero corpore minerali, ſed tantum pro regni mineralis vehiculo habenda Cl. Auctori videtur.

p. 3.

Ad

Ad duos ordines rediguntur aquae, quorum prior *inſipidas* ſiue *dulces*, alter *minerales* continet. Inſipidarum tria conſtituit genera, *atmoſphaericam*, *terreſtrem ſimplicem*, et *lapidificam* ſiue *incruſtantem*. Atmoſphaerica, ex aere originem ducens, ut ſpecies p. 5.
comprehendit, *pluuialem*, *niualem*, *roralem*, *grandinalem* cui et accenſet *pruinalem*. Continet pluuialis ad mentem Cl. MARGGRAFII terram alcalinam teneriorem, acidum nitri, ſalis acidum et partes oleoſas. Aqua terreſtris ſimplex, ex terra immediate p. 12.
proueniens, quatuor ſpecies ſiſtit, *fontanam*, *fluuialem*, *lacuſtrem* et *putealem*; Fontana eſt vel *frigida*, quae aut *perennat*, aut *periodica* deprehenditur; vel *calida*, quae in caloris gradu maxime variat, e. g. fontes calidi islandici, thermae piperinae ſiue fauorienſes Heluetiorum. Terreſtres has aquas in molles et duras diſtingui monet, quarum illae paucas, hae autem plures terreas continent particulas. Aqua p. 23.
lapidifica ſiue incruſtans vel *tophacea*, vel *tophaceo-arenoſa*, vel *ſpatoſa* ſiue *ſtalactitica* materie impraegnata eſt, et inde in tres has ſpecies diſtinguitur. Prioris ſpeciei eſt fons incruſtans Hagenhauſenſis, aqua molaris Goettingenſis; alterius ſpeciei in comitatu Schaumburgenſi ad relationem BERGERI inueniuntur; et tertiae ſpeciei dantur perplures, uti in antro Baumanniano cet.

Secundum ordinem aquarum conſtituunt ſapidae, p. 30.
quae, ob admixtarum particularum differentiam, varii ſaporis deprehenduntur. Aliae earum frigidae, aliae tepidae aut feruidae e terra erumpunt. In octo diuidit hunc ordinem genera, aquam *alcalinam*, *natroſam*, *muriaticam*, *ferratam*, *aeroſam*, *ſulphuream*, *bituminoſam* et *ſaponaceam*.

Aqua alcalina, quae ſaporis eſt lixiuioſi, vel *ho-* p. 33.
mogenea eſt ut Bilinenſis frigida in Bohemia, et Emſenſis calida in Wetterauia: vel *ſale communi et terra alcalina mixta*, uti Selterana; vel *acido tenuiſſimo ſpi-*

rituoſo, ſale communi ac terra alcalina ſcatet ut Toenſteinenſis; vel ex *natro et terra alcalina conſtat*, ut uterque thermarum carolinarum fons.

p. 39. Natroſa aqua ſapore amaro ſe prodit et eſt vel *fontana homogenea*, ut Sedlizenſis, Seydſchützenſis, Ebshamenſis; vel *fontana ſale communi mixta*, ut Hornhuſana; vel *lacuſtris*, ut varii lacus, referente GMELINO, in Sibiria.

p. 42. Muriatica aqua ſiue ſalſa, ſaporem ſalſum acutum obtinet. Quatuor huius aquae notantur ſpecies: 1) *fontana, terra alcalina mixta*, cuius indolis ſunt omnes fontes, quos *Salinas* appellare mos inualuit, et qui plus minusue ſalis communis exhibent. Terra rum alcalina in ipſa inſpiſſatione vel ſub forma lapidea, vel ſub forma liquida, *Mutterſohle*, remanet, ex qua demum ſub ſpecie magneſiae albae praecipitatur; vel et aedium gradatoriarum virgultis adhaeret; 2) *fontana, natro et terra alcalina remixta*, cuius indolis eſt *Wilhelms-Glücksbrunnen* in ducatu Iſenacenſi, prope Creutzburgum ſcaturiens; 3) *lacuſtris*, e. g. lacus Seeburgenſis mansfeldicus, Iamuſcha, Zagan-Ijus multique alii in Sibiria; 4) *marina*, quae praeter ſal commune partibus nitroſis, bituminoſis et terreis mixta eſt.

p. 49. Aqua ferrata ſiue martialis ſaporem adſtringentem ſiue ſtipticum, vitriolo-martialem offert. Species notari eiusmodi aquae merentur quatuor: 1) *aqua ferrata, ferrum acido ſubtiliſſimo et copioſo ſolutum atque ſal alcali fixum continens*, cuius modi ſunt Spadana, Swalbacenſis, Berſtadienſis, Liebenſteinenſis, aliae; 2) *aqua ferrata, praeter vitriolum martis et ſal alcali fixum, ſal mirabile* GLAUBERI *fouens*, ut Pyrmontanae, Egranae, Cliuenſes; 3) a praecedenti differt ſolummodo in eo, quod *ſal commune ſimul in ea deliteſcat*; exemplo ſit Forgenſis in Gallia, in primis illius fons, qui regius, *ſource royale*, dicitur: cuius aqua praeter adducta principia quoque materiam

riam ſeleniticam, ſubſtantiamque bituminoſam ſuppeditat; 4) *aqua ferrata praeter vitriolum, terram tophaceam* ſiue *lutoſam gerens:* huius cenſus eſt, Danckelsriedenſis in Sueuia, Freyenwaldenſis, Radebergenſis, Lauchſtadienſis, Paſſiaca Calſabigiana in Gallia. p. 59.

Aqua aeroſa, ſapore diſtinguitur acido · adſtringente, ſtyptico, acredine mixto: ferrum iniectum cupro praecipitato, *Cementkupfer*, obducit. Huius generis ſunt, Neoſoliana et Schmolnizenſis in Hungaria, Wicklouienſis in Hibernia, Altenbergenſis in Miſnia. p. 61.

Aqua ſulphurea odorem ſpirat ſulphureum, ſaporem quoque ſulphuris mineralis vel hepatis ſulphuris refert. Cum duplicis naturae ſit ſulphur, has aquas ingrediens, vaporoſum aliud, aliud ſubſtantiale fixum, duplex et aquarum ſulphurearum inde oritur differentia, quarum prima pro diuerſa admixta materia tres ſpecies conſtituit, altera vero quatuor: 1) *praeter ſulphur vaporoſum ſal commune et terram alcalinam* continent Badenſis et Altenburgenſis in Auſtria, Moenofrancofurtenſes, Schintznacenſis in Heluetia; 2) *cum ſulphure vaporoſo terram alit ſelenitam* aqua Landeocenſis in comitatu Glacenſi; 3) *una cum ſulphure ſal alcali fixum, natron et terram alcalinam* ſuppeditat thermarum carolinarum fons, *Neubrunnen* dictus; 4) *ſulphur fixum cum terra alcalina unitum* ſuppeditant thermae calidae Brigenſes ſiue Glyſſenſes Heluetiorum, ex frigidis vero Aluanienſis in Rhaetia; 5) *ſulphur fixum cum ſale alcali fixo et terra alcalina* aquae Vichenſes gallicae largiuntur; 6) Aquisgranenſes, Porcetanaeque inferiores *ſulphur ſubſtantiale cum ſale alcali fixo, ſale medio amaro, et terra alcalina* in mixtione tenent; 7) prope Rüſchlicken in Heluetia aqua, *das Nydelbad* dicta, praebet *ſulphur cum materia bituminoſa coniunctum.* Bituminoſa p. 76.

aqua odorem ſpargit fragrantem bituminoſum ſaporeque amaro praedita eſt. Tres recenſet Cl. Auctor huius aquae ſpecies, quarum *prima oleum minerale perfectum*, nunc ſubtilius, nunc ſpiſſius ducit, uti in Italia et Perſia permulti reperiuntur fontes. Altera ſpecies *vapores bituminoſos admota candela flammam concipientes* exhalat, ut fons flagrans Cracouienſis huicque ſimilis prope Küküly in Hungaria; tertia aquae bituminoſae ſpecies *ſolidam bituminis vehit materiam*, ut lacus Aſphaltites in Syria.

p. 83. Aqua ſaponacea, ſaporem habet ſaponatum, tactuque ſubpinguis deprehenditur ob admixtam argilloſo - ſaponaceam terram. Vnica tantum huius ſpecies nota eſt, Plumberiana ſcilicet in Lotharingia, cui ſunt analogae thermae Colubrinae ſiue Serpentinae in comitatu Catimelibocenſi.

p. 86. Appendicis loco addit Cl. Auctor, deſcriptionem thermarum Bathonenſium in Anglia: quae peculiarem aquarum ordinem efficere videntur, cum *aluminoſae indolis* deprehendantur. Pauca coronidis loco in ultima adiecta nota de *venenatis aquis* addit, quarum aliae exhalationibus tantum nocent, aſſumtae vero nullum corpori detrimentum adferunt, uti fons bulliens apud Pyrmontenſes, fons Iohannis in Hungaria, fons prope Gerolſteinium in Eifflia etc., aliae autem vel tota ſua ſubſtantia et ſi bibuntur, noxios effectus exſerunt, quibus accenſet aquas aeroſas, easque ſubterraneas, quae principiis arſenicalibus ſunt impraegnatae.

VI.

Der Gebrauch und Nutzen des Tabackrauchsclyſtiers, nebſt einer dazu bequemen Maſchine beſchrieben von D. IOHANN GOTTLIEB SCHAEFFER, Medic. et Practt. ord *zu Regensburg, und der Kayſerlichen Akademie der Naturforſcher Mitgliede. Mit einer Kupfertafel. Regensburg, gedruckt und zu finden bey Heinrich George Neubauer. Und in Leipzig in Commiſſion zu haben bey Johann Chriſtoph Gollnern, Buchführern.* 4 pl. 10.

i. e.

Vſus et commodum clyſteris ex tabaci fumo parati, una cum machina, ad hunc uſum apta, auctore I. G. SCHAEFFERO.

Rei praeſtantia et vſu commotus fuit Cl. SCHAEFFERVS, inter eruditos medicos iam dudum clarus, ut de tabaci fumo, ſub clyſteris forma corpori applicando, eiusque variis in morbis profligandis auxilio, per multiplicem experientiam probato, hac in ſcriptione ſeorſim ageret, quam igitur hic eo lubentius inſerimus, quo certius perſuaſi nobis eſſe videmur, fore, ut machina deſcripta cautelaeque additae in aegrotorum cedant emolumentum.

Modum tabaci fumo ad clyſteres utendi Angli, qui eum ab Americanis acceperant, Germanos docuerunt, inter quos in primis medicus ſuperioris ſaeculi I. A. STISSER de hoc argumento ſcriptum cum orbe litterario communicauit, * in quo modum p. 11.

 iſtum,

* I. A. STISSERI de machinis fumiductoriis curioſis ſiue fumum impellendi intra corpus inſtrumentis eorumque in praxi medica adhibendi ratione et uſu epiſtola ad III. viros magnae Societatis Regiae Anglicanae. Hamburgi, 1686. 4. c. f.

iſtum, ab Anglis uſurpatum, non ſolum emendauit, ſed nouam etiam, priore aptiorem, in hunc uſum effinxit machinam, quam, cum huius etiam uſus variis cum difficultatibus eſſet coniunctus, denuo emendauit atque correxit Cl. Auctor. Follem itaque conficiendum curauit, qui, non per vices, ſed continuo, aerem redderet, cuius deſcriptionem ſub finem libelli huius exhibet, tabulaque aenea illuſtrat. Venit haec machina Ratisbonae pretio unius floreni.

Mechanicum vero non ſolum, ſed medicum etiam huius rei deſcribit uſum. Ab initio itaque tabaci etymologiam et hiſtoriam botanicam praemittit, cui deinde hiſtoriam et modum clyſteris ex fumo ta-
p. 15. baci antiquiſſimum ſubiungit. Quo vero non tantum ex vi mechanica, ſed ex indole interna uſum illius, in corpus humanum redundantem oſtendere poſſet, primum partes, quas tabacus et tabaci fumus, qui eo nomine probe ſunt diſtinguendi, in ſinu ſuo fouet et quas varia opera detegere licet, diſquirit. Tribuit vero tabaci fumo Cl. Auctor aquam, non quidem per ſe ſingularis naturae, variis tamen partibus oleoſis et ſalinis impraegnatam, oleum, inter empyreumatica reducendum, et ſal generis volatilis
p. 19. alcalini. Ex quibus nunc virtutes fumi, ex tabaco combuſto orti, deducit, quas eſſe, ait, irritantes ſtimulantes, euacuantes et ἀνω et κατω, calefacientes, reſoluentes, antacidae, roborantes et anodynae. Primariam itaque vim exercet in inteſtina et ſtimulo ſuo varios ibidem producit effectus ſalutares, licet Cl. Auctor, nullum dubium eſſe, credat, quin et in vias agat, vt vocant, ſecundas, ibique ſtimulando excretionem augeat cum diapnöes, tum vrinae.
p. 22. Reſpici etiam iubet ad res accidentales, quod clyſter talis ſiccus et calidus ſit multoque cum aere applicetur, ex quo iterum varia deriuat commoda.

Diſqui-

Disquirit nunc morbos, in quibus partim expe- p. 24.
rientia doctus enema hoc salutare inuenit, partim ratione conuictus illud applicare suadet. Non vero nomina tantum morborum recenset, sed causas etiam eorum, tam remotas, quam proximas, sedulo disquirit, nec eius, quod illius usum dissuadere possit, obliuiscitur. Nos, ne libellus ad verbum describatur, in nominibus acquiescamus. Suadet itaque illius usum in colica biliosa et pituitosa, saturnina, flatulenta, verminosa, haemorrhoidali, nephritica, hysterica et uterina, arthritica, scorbutica, hernio-sa, de qua specie copiosissime differit, in passione iliaca, in nephritide, apoplexia, comate, in morbis hystericis et hypochondriacis, tympanitide, in partu difficili, in lochiis puerperarum retentis, in fluxu menstruo impedito, in molis et ulceribus uteri etc.

Quo sententiae suae etiam fides esset, viros inter p. 46.
practicos summos, qui ei adstipulantur et ex quibus honoris ergo nominamus SYDENHAMIVM, ETTMVLLERVM, I. H. SCHVLZIVM, HEISTERVM, nec non duodecim historias morborum, in quibus clyster hic, ab Ipso commendatus, summo fuit auxilio, recenset. Non nullas ex his subiungamus.

Stannator triginta annorum, sanguine abundans p. 51.
atque iam aliquoties dolores expertus colicos, denuo post magnae stanni copiae fusuram iisdem ita excruciabatur, ut morbus in gangraenam inclinare crederetur. Venae sectione cum mixtura ex temperantibus nitrosis ac camphoratis incassum adhibita, tandem clyster ex fumo tabaci applicabatur; quo facto non solum aeger seruabatur, sed opinione citius reconualescebat.

Viduae sexagenariae hernioſae post esum operis alicuius pistorii, quod Germani spiras, *Brezeln*, vocant, hernia dolere atque tumescere incipiebat, disquisita apparuit incarcerata, nullis, licet apte applicatis, remediis cedens. Applicatum hoc enema

haud leue mox attulit auxilium et tumorem hernioſum in priſtinum redegit ſpatium, qui vero poſt annum dimidium et poſt eundem fere, ab aegrota commiſſum errorem denuo intumeſcebat inflammabaturque, ſed nunc ſine ulla auxilii ſpe; moriebatur enim ſexto die aegra.

Alia foemina hernioſa quadrageſimum agens annum poſt pilulas, ſine dubio draſticas, ab empirico ſumtas, quae vomitum diuturniorem excitabant herniamque, quae inguinalis erat, mirum quantum inflabat, in morbum ileum coniiciebatur, nullis auxiliis nec clyſteribus emollientibus atque ſalinis quidem leuandum usque dum clyſter hic in auxilium vocaretur, qui et dolores leniebat, repoſitionemque herniae adiuuabat.

p. 56. Vel in primis commendat uſum clyſteris huius hiſtoria aegroti, tympanitide vera laborantis, qui per hoc enema, reiteratis vicibus adhibitum, breui tempore priſtinam recuperauit ſanitatem.

p. 61. Vir triginta ſeptem annorum plethoricus, aliquoties antea aſcitico tumore affectus, dolores ad os ſacrum, flatus et obſtipationes alui diuturnas plerumque ſenſerat. Subito recrudeſcunt illi dolores, cum colicis continuisque vomitibus coniuncti. Venae ſectione praemiſſa, exhibebatur tinctura rhabarb. cum liquore anodyno mixta et tandem clyſter hic tentabatur maximo cum aegri emolumento, quo quippe applicato, haemorrhoides, qui cauſſa dolorum erant, ſe oſtendebant; quarum fluxus cum poſt aliquot dies remitteret, eodem enemate reiterato et pulbere rhabarbarino denuo reuocabatur.

p. 65. Nullum remedium uniuerſale dici meretur. Idem valet de hoc clyſtere, quem, licet Cl. Auctor eius uſum ad modum late extendat, non omni tamen exceptione maiorem eſſe, Idem oſtendit. Leges itaque ſancit, ad quas illius uſus dirigi oportet. Diſſuadet illius uſum in hominibus delicatulis et quibus

neruo-

neruorum ſyſtema vel ex morbo, vel a natiuitate nimis exiſtat ſenſile. In hominibus ſanguine abundantibus ante illius uſum venam ſecari iubet. In inflammatione inteſtinorum, quae diu inualuerit et quae omnem reſolutionis ſpem reſpuat; in ipſa excoriatione eorum; ubi materies arthritica vel podagrica intro pulſa; et ſi inteſtinum rectum foecibus ita repletum deprehendatur, ut fumo omnis denegatur introitus, plane ab ipſo abſtinere ſuadet.

VII.

The Hiſtory of the Royal Society of London for improving of natural Knowledge etc. By THOMAS BIRCH, D. D. Secretary to the Royal Society. London printed for A. Millar, 1757. Vol. III. 2 alph. 20 pl. Vol. IV. 3 alph. 2 pl.

h. e.

Hiſtoria regiae Societatis Londinenſis in excolenda ſcientia naturali occupatae etc. Edita a THOM. BIRCH, cet.

Ea, qua coepit quamque ſupra declarauimus * ratione Cl. BIRCH deſcribere pergit hiſtoriam ſocietatis regiae Londinenſis, hisque voluminibus ea, quae ab anno ſuperioris ſaeculi ſeptuageſimo ſecundo uſque ad exitum anni octogeſimi ſeptimi in ſingulis ſodalium conuentibus acta fuerunt, enarrat, ſimulque ſociorum, qui intra memoratum tempus vita exceſſerunt, merita laudat. Illi vero, quorum memoria commendatur, ſunt MATH. WREN, FRANC. WILLVGBY, IO. WILKINS, ROB. MORAY, IO. GODDARDVS, HENR. OLDENBVRGIVS, FRANC. GLISSONIVS, FRANC. VERNON, THOM.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. II. p. 304.

STANLEIVS, IOSEPHVS GLANVILL, IOH. MOORE, IO. COLLINS, IO. BEAL, GVIL. BROVNCKER, GVIL. CROVNE, IO. PELL et IO. PEARSONIVS. Reliquum argumentum in cogitata atque experimenta, quae ad matheſin, phyſicam, rem medicam, hiſtoriamque naturae et artis pertinent, et in conſilia ac decreta, oeconomiam ipſius ſocietatis ſpectantia, diuidi poteſt. Quem admodum vero haec merito praetermittuntur, ita etiam priorem argumenti partem editione ſcriptorum HOOKII et Transactionum philoſophicarum ita exhauſtam fateamur, neceſſe eſt, ut inſigne nouarum obſeruationum ſpicilegium minus locum habeat. Ex iis autem, quae reſtant, non nulla tantum, quae propius a ſcopo noſtro abſunt, commemorabimus.

V. III. p. 5. Cl. HIERNIVS ea, quae ipſi de modo quo in Finnia aqua ſuffocati homines poſt biduum aut triduum ad vitam reuocari dicuntur, relata fuerant, tradit. Hi nimirum lentiſſimo gradu ex aqua protruhuntur, ne aer craſſior magno impetu in pulmones irruere ac cum aqua in iis collecta permiſtus venas huius viſceris dilacerare poſſit. Quo facto in calefacto cubiculo imponuntur dolio, cuius crebriore et ſenſim aucta volutatione aqua ex corpore elicitur, hocque calidis linteis perfricatur aliisque fomentis illi calor reſtituitur. p. 10. HOOKIVS animaduertit in Cl. NEWTONI doctrinam de luce et coloribus, de qua hic in peculiari epiſtola ad OLDENBVRGIVM egerat, quaeque Transact. phil. * inſerta fuit. p. 22. HOWARDVS ad quaeſtiones, quae ipſi de ſtatu naturali Mauritaniae propoſitae fuerant, reſpondet. p. 30. CROVNE agit de formatione pulli ac exiſtentia rudimentorum eius in foecundato ouo ante incubationem. p. 52. Cl. HOOKIVS experimenta ad refractionem et colores pertinentia recenſet. p. 102. CROVNE, NEEDHAM et KING iudicium ferunt de controuerſia, quae inter SWAMMERDAM-

* n. 80.

MERDAMMIVM et GRAAFIVM propter generationis organa exorta fuerat. Dicunt nimirum: GRAAFIVM arteriam ſpermaticam virilem recte deſcripſiſſe, de tubulorum in teſticulo, qui in epididymidem deſinunt, deductione, ipſi credendum, de medio per quod ſemen a ſanguine in teſticulo ſeparetur, difficile eſſe quicquam ſtatuere; veſicularum ſeminalium cum vaſis deferentibus ſchematiſmum, quatenus in homine ſe habet, ſatis fideliter expreſſiſſe GRAAFIVM; Penis impletionem a ſanguine infarcto pendere utrobique aſſeri; GRAAFIVM rigiditatem eius animalibus ſpiritibus tribuendam cenſere; at quaeſtionem de emiſſione ſeminis a neutro ſcriptorum ſolui; complura denique in ſchemate SWAMMERDAMMIANO, quod TVLPIO dicauit, culpaſſe GRAAFIVM forte non immerito; quae tamen ab auctore ipſo in ſubſequentibus figuris poſtea editis emendari. Ill. BOYLE originem fixitatis materiae quatenus volatilitati eius opponitur, euoluere ſtudet. * Cl. RAIVS de ſeminibus et differentiis ſpecificis plantarum diſſerit et ideam operum botanicorum, in ſequenti tempore ab eo euulgatorum, hic propoſuit. HENSHAW non nulla profert, quae hiſtoriam naturalem Daniae in lucem ponunt. Cl. NEEDHAM deſcribit ſerum ſanguinis eique praecipuam corpus animale nutriendi vim tribuit. Cl. NEWTONVS explicat proprietates lucis et praecipua phaenomena variorum colorum tenuibus corporibus exhibitorum, ** ſimulque ſe aduerſus HOOKIVM, qui cum Micrographiae ſuae multum in hac re debere dixerat, defendit. THORLACVS Epiſcopus Islandiae aliquam partem hiſtoriae naturalis huius inſulae tradit.

p. 144.
p. 162.
p. 181.
p. 233.
p. 247.
p. 306.

* vid. ROB. BOYLE's philoſ. Works abridg'd by PET. SHAW, Vol. I. p. 363.

** vid. eius Monition. primae optices editioni praepoſitam.

p. 395. tradit. Inquiritur in modum detegendi altitudinem
p. 415. maris. Cl. HVGENII teſtimonio gloria inuentorum,
in ſemine animali animalculorum HAMMIO ſtudioſo
p. 423. Leidenſi vindicatur. Planta Terrara in Carolina
naſcens pro antidoto uniuerſali venditatur. Laudi-
p. 470. tur ROGERII BACONIS cognitio rerum naturalium;
ideoque operum eius, in quibus etiam artificii pul-
uerem pyrium parandi veſtigia deprehenduntur, per-
p. 486. fecta collectio optatur. PAPIN machinam ſuam of-
ſa emollientem producit et Noſter auctor eius vim
Vol. IV. multis aliis locis variaque occaſione laudat. Sermo
p. 15. de veneno, quod multis hominibus ſuperiori ſaeculo
in Italia datum fuit, inſtituitur. Cl. FLAMSTED-
p. 27. DIVS exponit de anguilla Surinamenſi, quae viuens
hominibus, qui eam aut alia ab ipſa affecta corpora
attingunt, ſtuporem ipſamque mortem conciliat,
p. 156. mortua vero ſine noxa comeditur. ROGER. BACO-
NEM teleſcopia primum inueniſſe, LEONARDVM
DIGGESIVM vero etiam Anglum ea denuo in lu-
p. 180. cem produxiſſe, Cl. HOOKIVS oſtendit. Cl. PLOT
enarrat ea, quae Societas quaedam Oxonienſis de re-
p. 190. bus phyſicis diſputauit. LISTERVS ea dubia ſoluit,
quae contra ipſius librum de aquis medicatis mota
p. 246. fuerunt. Cl. HVNTINGTON refert ea, quae Du-
blini in congregationibus ſodalium argumenta philo-
ſophica in primis phyſica disquirentium peracta fu-
erunt; cuius modi narrationes in reliqua parte huius
p. 387. voluminis ſaepe occurrunt. LISTERVS viri alicu-
ius meminit, qui in exercitu regis Car. I. fuerit, ac
p. 391. denſiſſima nocte epiſtolas legere potuerit. *Idem* aper-
turam fundi veſicae ad educendos calculos commen-
p. 429. dat. Memorantur experimenta, quae Cl. SLARE
cum ſaliua feminae, cui ſaliuatio propter ſcrofulas ex-
citata fuerat, inſtituit. Sal volatile armoniacum et
cornu cerui aeque minus ac fixum ſal abſinthii et ol.
tart. per deliqu. ullum motum in ea producebant. Nec
ulla ebullitio additione ſpirituum acidorum oriebatur.

Leniſſimo

Leniſſimo autem calore arenoſi balnei deſtillata primum inſipidam aquam, poſtea vero liquorem exhibebat, in quo oleum vitrioli exiguam fermentationem producebat. Id quod ultimo loco deſtillatum fuerat, flauum colorem habebat, ideoque ſal continere videbatur, ſed tamen nullum acrem urinoſum odorem emittebat. In fundo vitri inueniebatur cinereum ſal, quod vero nec veri volatilis, nec lixiuioſi, nec marini ſalis nomen merebatur et potius ſal alcalinum erat. Omnis autem operatio nullum veſtigium aciditatis in ſaliua oſtendebat. Fit mentio me- p. 431.
thodi, quae inſecta ſecundum ipſorum folliculos et
aurelias ordinare iubet. SLARE narrat ea experi- p. 435.
menta, quibus eos confutare adnititur, qui omnem
materiam medicam in alcali et acidum diſtinguunt.
Exhibentur cogitationes aliquae HARVEII de cir- p. 534.
cuitu ſanguinis, et uſu partium córporis humani.

Quae cum ſufficere putemus, tantum hoc addimus, in utroque volumine multa reperiri, quae ad grauitatem in primis aeris, vim magnetis, variasque corporum affectiones pertinent et plerumque quidem experimentis nituntur, quorum multitudine Cl. HOOKIVS ceteros ſodales vincit, non raro tamen meras coniecturas et relationes aliorum exhibent.

VIII.

VIII.

Diſputationes ad morborum hiſtoriam et curationem facientes, quas collegit, edidit et recenſuit ALBERTVS HALLERVS. Tomus quartus iterum ad morbos abdominis. Lauſannae ſumtibus M. M. Bouſquet et Socior. 1758. 4. alph. 4. pl. 10. tab. aen. 15. Tomus quintus ad febres, ibid. eod. alph. 4. pl. 6. Tomus ſextus ad morbos, qui corporis uniuerſitatem obſident, ibid. eod. alph. 4. pl. 14. tab. aen. 3.

Nuper * iam incepimus indicem diſſertationum ad curationem morborum ſpectantium, quas Ill. HALLERVS collegit, cum lectoribus Noſtris communicare. Nunc reliqua quoque volumina ſimili ratione indicenda eſſe perſpicimus.

Complectitur vero Tomus quartus, qui iterum ad morbos abdominis pertinet. 109) Progr CAR. FRIED. KALTSCHMIED *de liene pueri nouem annorum rarae magnitudinis.* Ien. 1751. 110) Diſſ. continens *obſeruationes quasdam lienum disruptorum.* Praeſ. I. VALENTIN. SCHEID. Reſp. *I. Gothofr. Scheid.* Argentor. 1725. 111) Diſſ. *de ſcirrhis viſcerum, occaſione ſectionis viri tympanite defuncti.* Praeſ. ABR. VATER. Reſp. *Chriſt. Sigism. Ezler.* Witteb. 1723. 112) IO. PHILIPP. METZ Obſ. rara *diabetis.* Baſil. 1737. 113) CHRISTIAN. GOTTLIEB KRATZENSTEIN *theoria fluxus diabetici more geometrico explicata.* Halae, 1746. 114) IO MART. OTT *hiſtoria renis ſiniſtri maxime tumidi et corrupti in cadauere humano reperti.* Baſil. 1719. 115) CHRISTIAN. ANDR. KOCH *affectus in libris et praxi rariſſimus ab* HERMANNO BOERHAAVE *in noſocomio Lugdu-*

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. III. p. 463.

Lugduno-Batauo ſanatus. Leidae, 1738. 116) Theſis, *ergo tumidis haemorrhoidibus hirudines.* Praeſ. I. BAPT. LVDOV. CHOMEL. Reſp. *I. Franc. Clem. Morand.* Pariſ. 1750. 117) Diſſ. I. HIERON. LAPI *de curatione ſtranguriae contumacis frequentem maleque tractatam gonorrhoeam conſequentis.* Rom. 1754. 118) Diſſ. GOTTLOB HENR. TROSCHEL *de morbis ex alieno ſitu partium abdominis.* Francof. ad Viadr. 1754. 119) Diſſ. *de languore lymphatico.* Praeſ. IEREM. LOSS. Reſp. *Frid. Geitzinger.* Witteb. 1673. 120) IO. BOECLERI *ad exteros medicos, occaſione fraudulentae mulieris, quae per totam fere vitam ficto monſtroſo ventre omnium decepit oculos,* epiſtola. Argent. 1728. 121) Diſſ. *de hydatidibus.* Praeſ. HERM. PAVL IVCH. Reſp. *Ge. Chriſtoph. Beat. Brehm.* Erford. 1745. 122) I. CHRISTOPHOR. POHL Progr. *de hydrope ſaccato ex hydatidibus.* Lipſ. 1747. 123) Diſſ. continens *hiſtoriam hydropis ſaccati.* Praeſ. IAC. CHRISTOPH. SCHEFFLER. Reſp. *Chriſtian. Iacobi.* Altdorff. 1724. 124) Diſſ. *de infelici hydropis ſaccati curatione.* Praeſ. HADRIAN SLEVOGT. Reſp. *Io. Sebaſtian Steube,* Ien. 1721. 125) Diſſ. *ſiſtens caſum hydropicae lapſu, integro abdomine ſanatae.* Praeſ. MICH. ALBERTI. Reſp. *Chriſtoph. Erneſt. Cono.* Hal. 1727. 126) Diſſ. *de virgine aſcitica poſt paracentheſin purpura maligna extincta.* Praeſ. POLYCARP. GOTTL. SCHACHER. Reſp. *Io. Gottl. Moebio.* Lipſ. 1725. 127) LVDOV. SALZMANN *de abſceſſu interno mirae magnitudinis dignis cum hydrope et aliis notatu in muliere Argentorati nuper obſeruato.* Argent. 1671. 128) I. HVLDR. PEYER IMHOFF *ouarium hydropicum in virgine repertum.* Baſil. 1718. 129) Diſſ. *de grauiditate apparente, ex tumore ouarii dextri enormi orta, per tres annos cum dimidio durans tandemque in aſcitem terminata.* Praeſ. ABR. VATER. Reſp. *Paul. Gottlob Berger.* Witteb. 1722. 130) I. EHRENFRIED

SCHLEN-

SCHLENCKER *de ſingulari ouarii ſiniſtri morbo.* Leid. 1722. 131) NICOL. WILLI *ſtupendus abdominis tumor.* Baſil. 1731. 132) Progr. POLYC. GOTTL. SCHACHER *de ouarii tumore piloſo.* Lipſ. 1735. 133) I. FRANCISC. FONTAINE *obſervatio rarior tumoris abdominis ex ſcirrho ouariorum praeſertim ſiniſtri inſigni.* Baſil. 1753. 134) Diſſ. *de hydrope uteri.* Praeſ. CHRISTOPHOR. CVNRAD, Reſp. *I. Frid. Starcke.* Regiomont. 1701. 135) Diſſ. *de menſium inſolitis viis.* Praeſ. GEO. ERNST STAHL. Reſp. *Geo. Frid. Ioeſchke.* Hal. 1702. 136) Progr. POLYC. GOTTL. SCHACHER *de haemorrhagiis grauidarum.* Lipſ. 1717. 137) IO. D' VRBAN *de haemorrhagia uterina.* Edimb. 1753. 138) CHRIST. GOTTHILF KIESLING Diſſ. ſiſtens *uterum poſt partum inflammatum.* Lipſ. 1754. 139) Diſſ. *de abortu et foetu mortuo.* Praeſ. GEO. ERNST STAHL, Reſp. *Io. Kanold.* Hal. 1704. 140) Diſſ. *de placentae uterinae morbis.* Praeſ. POLYC. GOTTL. SCHACHER. Reſp. *Chriſtian. Iac. Seyler.* Lipſ. 1709. 141) Diſſ. *de uteri ſcirrho.* Praeſ. IO. GEO. ROEDERER, Reſp. *I. G. Chriſt. Hirſchfeld.* Götting. 1755. 142) Diſſ. *de virgine hydropica, uteri mola ſimul laborante.* Praeſ. GEO. DAN. COSCHWITZ. Reſp. *Geo. Henr. Hatzfeld.* Hal. 1725. 143) Diſſ. *de mola praegnante.* Praeſ. ABR. VATER. Reſp. *Io. Gottlieb Vater.* Witteb. 1729. 144) Diſſ. GER RVTGER HANKOPH *de mola occaſione molae oſſeae in vetula octogenaria inuentae.* Götting. 1746. 145) IO. GEO. SCHMID *de concrementis uteri.* Baſil. 1750. 146) CAROL. FRID. KALTSCHMIED Progr. *de mola ſuppuratione confecta, relinquente globum pilorum pugnae magnitudinis cum teſta ſebacea.* Ien 1752. 147) EIVSD. Progr. *de mola ſcirrhoſa in utero inuerſo extirpata.* Ien. 1754. 148) Diſſ. *de foetu 46 annorum.* Praeſ. RVD. IAC. CAMERARIO, Reſp. *Geo. Frid. Orth.* Tubing. 1720. 149) I. ERNEST.

TVRCK

TVRCK *hiſtoria mulieris, varia oſſa per aluum eiicientis.* Vltraiect. 1727. 150) I. CAROL. VNGNAD *caſus anatomico-phyſiologicus rarior.* Stettin. 1750. ex exempl. MSc. ad Editorem.

Tomus quintus ad febres continet: 151) Diſſ. *de tertiana febris genium uniuerſum manifeſtante.* Praeſ. GEO. ERNST. STAHL, Reſp. *Gottfr. Meyer.* Hal. 1706. 152) Diſſ. *de Chinchina ab iniquis iudiciis vindicata.* Praeſ. I. GOTHOFR. BERGER, Reſp. *Henr. Dav. Stisler.* Witteb. 1711. 153) HONORII GVIL. KASTENHOLTZ *conſectaria theoretico-practica ex hiſtoriis quatuor febrium tertianarum intermittentium deprompta.* Altorf. 1745. 154) Progr. I. FRID. CARTHEVSER *de febribus intermittentibus epidemicis.* Francof. ad Viadr. 1749. 155) CAROLI GIANELLA *de admirabili ipecacuanhae virtute in curandis febribus tum autumnalibus, tum lentis, tum aliis ſiue continuis ſiue intermittentibus, ſedem in primis viis habentibus.* Patav. 1754. 156) Diſſ. *de mercurialium uſu in febre quartana curanda.* Praeſ. I. HENR. SCHVLTZE, Reſp. *I. Gottfr. Graevius.* Hal. 1742. 157) Theſis in haec verba: *ergo febri ſubintranti Kinakina.* Praeſ. PAVL LE ROY, Reſp. *I. Bapt. Hatte*, Pariſ. 1753. 158) Diſſ. HENR. WILH. ARNOLD *de febre ſtomachali epidemica.* Marburg. 1727. 159) Diſſ. *de hepatitide Pegauiae in circulo Lipſienſi epidemice graſſante obſeruata et curata.* Praeſ. LANDR. FISCHER, Reſp. *Godofr. Kulbel.* Erford. 1718. 160) Diſſ. *de febribus biliofis.* Praeſ. GEO. ERNST STAHL, Reſp. *Erneſt. Petr. Meuder.* Hal. 1701. 161) Diſſ. *de febre maligna per gangraenam pedis dextri in regione malleoli externi critice ſoluta.* Praeſ. ALB. V. HALLER, Reſp. *G. C. Pappelbaum.* Götting. 1743. 162) Diſſ. GVIDON. FANOIS *de morbo epidemico, hactenus inaudito, praeterita aeſtate anni 1669 Lugduni Batauorum vicinisque locis,*

graſſante. Leid. 1671. 163) Diſſ. 10. DE RORIE *de morbo epidemico anni* 1719. 164) Diſſ. *de febribus Eyderoſtadienſibus epidemicis*, vulgo *Stoppelfieber*. Praeſ. GEO. DETHARDING, Reſp. *Geo. Hannaeo.* Haffniae, 1735. 165) Diſſ. *de febre continua maligna et intermittente tertiana utraque ad Rhenum ann.* 1734. *et* 1735. *epidemica et caſtrenſi.* Praeſ. FRANC. IOS. MOLITOR, Reſp. *Henr. Io. Andr. Mayr de Zimmat.* Heidelb. 1736. 166) Diſſ. *de febribus malignis in regione Roemhildenſi a menſ. Decembri anni* 1740. *ad Auguſtum uſque anni* 1741. *graſſatis.* Praeſ. SIM. PAVL HILSCHER, Reſp. *Imman. Frid. Schaurr.* Ien. 1741. 167) Diſſ. *de febre catarrhali epidemia cum tuſſi et coryza complicata, menſibus vernalibus anni praeteriti in pluribus Germaniae prouinciis graſſante.* Praeſ. HERM. PAVL IVCH, Reſp. *Io. Iac Zuberbuhler.* Erford. 1743. 168) Diſſ. *exhibens obſeruationes quasdam circa conſtitutionem epidemicam anni* 1750 *adnotatas.* Praeſ. PHIL. CONR. FABRICIVS, Reſp. *Io. Dan. Farenholtz.* Helmſt. 1750. 169) Diſſ. *de febre caſtrenſi, quam vulgo cephalalgiam epidemicam vocant.* Praeſ. HENR. MAIVS, Reſp. *Arpold Phil. Kopff.* Rinthel, 1691. 170) Diſſ. *de morbo Hungariae Hagymaz, eiusque cura praecipue per ſpecificum.* Praeſ. MICH. ALBERTI, Reſp. *I. Gu. Schuller.* Hal. 1726. 171) Diſſ. *de febri maligna caſtrenſi Gallorum, quae cum ingenti eorundem ſtrage per totum regnum Bohemiae, maxime vero Pragae, inter eadem graſſabatur.* Praeſ. I. ANTON. IOS. SCRINCI, Reſp. *Guil. Bache.* Pragae, 1743. 172) IOS. WEITBRECHT *de febrili conſtitutione petechizante Petropoli anno* 1735. *graſſante.* Regiomont. 1736. 173) FRID. BRANDHORST *hiſtoria febris caſtrenſis petechialis epidemicae.* Leid. 1746. 174) Diſſ. *de hiſtoria medica nouum iſtum puerperarum morbum continente, qui ipſis der Frieſel dicitur.* Praeſ. GODOFR. WELSCH, Reſp. *Sigiſm. Rupert. Sulzberger.* Lipſ. 1655. 175) Diſſ.

Diſſ. *de febre acuta exanthematica aegram quinquies ſerie non interrupta inuadente.* Praeſ. POLYCARP. GOTTL. SCHACHER, Reſp. *I. Theophil. Steinfeld.* Lipſ. 1723. 176) IO. GODOFR. SALZMANN *hiſtoria purpurae miliaris albae cum primis Argentoratum noſtrum et viciniam ante biennium fere infeſtantis.* Argentor. 1736. 177) WILH. VLRIC. WALDSCHMIDT *de ſingularibus quibusdam peſtis Holſaticae.* Kiliae, 1721. 178) ANTON. COCCHI *de morbo variolari, quo affectata eſt praenobilis monialis, Maria Liuia Burgheſia,* ſub finem anni 1739. 179) Diſſ. ſiſtens *hiſtoriam morbi et ſectionem cadaueris variolis confluentibus defuncti cum epicriſi.* Praeſ. CASP. GVIL. BEVSSER, Reſp. *Io. Theod. Faber.* Heidel. 1731. 180) Diſſ. *de variolis curandis.* Praeſ. NICOL. ROSEN, Reſp. *Petr. Ion. Bergius.* Vpſal. 1754. 181) Diſſ. *de uſu venaeſectionis et clyſterum in curatione variolarum.* Praeſ. IO. GOTHOFR. BERGER, Reſp. *Io. Theod. Neucranz.* Witteb. 1711. 182) Diſſ. *de facie a variolarum inſultibus praeſeruanda.* Praeſ. GEO. CHRISTOPH. DETHARDING, Reſp. *Tob. Phil. Hilcken.* Roſtoch. 1754. 183) FRANCISC. CLIFTON *de diſtinctis et confluentibus variolis.* Leid. 1714. 184) MATTHIAE ERNESTI BORETII *obſeruationum exoticarum ſpecimen primum, ſiſtens famoſam Anglorum variolas per inoculationem excitandi methodum cum eiusdem phaenomenis et ſucceſſibus, prout nempe in carcere Londinenſi Neuugate, auctoritate publica in ſex perſonis capite damnatis feliciter fuit inſtituta.* Regiomont. 1722. 185) THOMAE FREWEN *de inſitione variolarum.* Traiecti, 1755. 186) Theſis in haec verba: *Ergo Pariſinis variolarum inoculatio.* Praeſ. IO. NICOL. MILLIN DE LA COVRVEAVLT, Reſp. *Petr. Ioſ. Moriſot Deslandes.* Pariſ. 1757. 187) Diſſ. *de lue contagioſa bouillum genus nunc depopulante.* Praeſ. ANDR. OTTOMAR. GOERICKE, Reſp. *Io. Otto. Bruckner.* Francof. ad Viadr.

1730. 188) Diſſ. *de lue vaccarum Tubingenſi.* Praeſ. BVRC. DAV. MAVCHART, Reſp. *Chriſtoph. Henr. Klemm.* Tubing. 1745. 189) ABRAH. ENS *diſquiſitio anatamico-pathologica de morbo boum Oſteuicenſium pro peſte non habendo.* Halberſtad. 1746.

Tomus ſextus ad morbos, qui corporis univerſitatem obſident continet. 190) Diſſ. *de morbis ex ſtrictura glandularum praeter naturam natis.* Praeſ. IO. ZELLER, Reſp. *Chriſtoph. Abr. Ruoff.* Tubing. 1694. 191) EIVSDEM diſſertationis pars poſterior. 192) I. VALENTINI CHVDEN *de methodo praeſeruandi et curandi atrophiam infantum.* Götting. 1756. 193) MICH. ERN. ETTMÜLLER Progr. *de ſcabie.* Lipſ. 1731. 194) Diſſ. *de lepra.* Praeſ. CASIMIR CHRISTOPH. SCHMIEDEL, Reſp. *I. Chriſtian Voigt.* Erlang. 1750. 195) I. FRID. HACHSTROM *obſeruationes circa ſcorbutum eiusque indolem, cauſſas, ſigna et curam inſtitutam, eorum praeprimis in uſum, qui Groenlandiam et inſulas orientales petunt.* Leid. 1734. 196) Diſſ. epiſtolica I. GEO. HENR. KRAMER *de ſcorbuto*, ad CHRISTOPH. IAC. TRIW. Norimb. 1737. 197) Diſſ. *de ſcorbuti et venereae luis diuerſis ſignis et medicinis.* Praeſ. GEO. ERN. STAHL, Reſp. *Geo. Daniel Thebeſius.* Hal. 1706. 198) Diſſ. *de ſymptomatibus purpurae chronicae ſcorbuticae.* Praeſ. EBERHARD. ROSEN, Reſp. *Io. Borg.* Lond. Gothor. 1756. 199) SAM. THEOD. QVELLMALZ Progr. *quo frigoris actioris in corpore humano effectus expendit.* Lipſ. 1755. 200) Diſſ. *de corticis Chinae efficacia in gangraena et ſphacelo adhuc dubia.* Praeſ. GEO. CHRISTOPH DETHARDING, Reſp. *I. Dan. Schäffer.* Roſtoch. 1746. 201) Diſſ. in qua continetur *ſpecifica methodus recentior, cancrum ſanandi, eius hiſtoriam analyſinque chemicam et medicam practicam exponit.* Praeſ. PHIL. FRID. GMELIN, Reſp. *Achat. Gaertner.* Tubing. 1757. 202) Diſſ. I. PETR. BVCH-

BVCHNER *de rachitide perfecta et imperfecta.* Argentor. 1754. 203) Diſſ. *de polypo infantis rachitici.* Praeſ. GEO. AVG. LANGGVTH, Reſp. *Sam. Gottl. Eichler.* Witteb. 1744. 204) CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG Progr. *quo obſeruata in ſectione cadaueris feminae, cuius oſſa emollita erant, proponit.* Lipſ. 1757. 205) POLYC. GOTTL. SCHACHER *obſeruationes tres circa materiam oſſificationis praeter naturam factae.* Lipſ. 1726. 206) ABR. VATER Progr. *de oſſificatione.* Witteb. 1726. 207) RVTTGER GOTTL. HOERNIGK *de induratione partium praeter naturam.* Lipſ. 1750. 208) Diſſ. ſiſtens *oſteo-ſteatomatis caſum rariorem.* Praeſ. CAROL. FRID. HVNDERTMARK, Reſp. *Frid. Iac. Tittmann.* Lipſ. 1757. 209) Diſſ. *de partium coaleſcentia morboſa.* Praeſ. I. ERNST. HEBENSTREIT, Reſp. *Gottl. Car. Springsfeld.* Lipſ. 1738. 210) CAR. FRID. KALTSCHMIED Progr. *de raro coalitu hepatis et lienis in cadauere inuento.* Ien. 1752. 211) HENR. BACHERACHT Diſſ. *de morbis ligamentorum.* Leid. 1750. 212) I. ALB. HENR. REIMAR. *de tumore ligamentorum circa articulos, fungo articulorum dicto.* Leid. 1757. 213) Diſſ. ſiſtens *podagrae nouam pathologiam* Praeſ. GEO. ERN. STAHL, Reſp. *Io. Conr. Tueffenbach.* Hal. 1704. 214) I. GODOFR. DE HAHN *hiſtoria podagrae Phil. Ludouici Card:n. de Sinzendorff.* Norimb. 1750. 215) Diſſ. *de ſcarifatione certo et ſecuro remedio antipodagrico.* Praeſ. I. FRID. BAVER, Reſp. *Carol. Io. Mich. Otto.* Lipſ. 1732. 216) I. ADRIAN. THEOD. SPROEGEL *experimenta circa varia venena in viuis animalibus inſtituta.* Göttinq. 1753. 217) Diſſ. *de antidoto nouo aduerſus viperarum morſum praeſentiſſimo in Anglia haud ita pridem detecto.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp *Frid. Genſler.* Witteb. 1736. 218) Theſis in haec verba: *Ergo ſpecificum viperae morſus antidotum alkali volatile?* Praeſ. IOS. EXVPER. BERTIN, Reſp. *I. Fr. Clem. Morand.*

Morand. Pariſ. 1749. 219) Diſſ. *qua corporis humani momentanearum alterationum ſpecimina quaedam expenduntur inque cauſſas earum inquiritur.* Praeſ. I. HENR. SCHVLZE, Reſp. *I. Geo. Krumnau.* Hal. 1741. 220) DAN. LANGHANS *de conſenſu partium.* Götting. 1749. 221) SAM. SEELMATTER *morbi circa Tobinium familiares cum caſibus non nullis et obſeruationibus rarioribus.* Baſil. 1751. 222) Diſſ. *de medicina Laponum.* Praeſ. GVSTAV. HARMENS, Reſp. *Io. Fielſtröm.* Lond. Gothor. 1734. 223) Diſſ. *de medicina Lapponum Lulenſium.* Praeſ. EBERH. ROSEN, Reſp. *Laurent. Montin.* Lond. Gothor. 1751. 224) Diſſ. continens *ſpicilegium obſeruationum de Indorum morbis et medicina.* Praeſ. I. HERM. FÜRSTENAV, Reſp. *I. Phil. Paxmann.* Rintell. 1735. 225) *Obſeruationum quadriga.* Praeſ. BALT. IO. DI BVCHWALD, Reſp. *Frid. de Buchwald.* Haſniae, 1740. 226) STEPHAN. WESZPREMI *obſeruationes medicae.* Traiect. 1756. 227) GEO. FRID. RICHERZ *obſeruatae viſcerum abdominalium labis breuis epicriſis.* Leid. 1757.

IX.

Elementa Phyſiologiae Corporis Humani. Auctore ALBERTO V. HALLER, Praeſide Societatis Reg. Sc. Götting. Sodali Acadd. Reg. Scient. Pariſ. Reg. Chir. Gall. Imper. Berolin. Suecic. Bononienſ. Societt. Scient. Britann. Vpſal. Heluet. in Senatu ſupremo Bernenſi Ducentumuiro. Tomus Primus. Fibra. Vaſa. Circuitus ſanguinis. Cor. Lauſannae. Sumptibus Marci-Michael. Bouſquet et Sociorum. 1757. 4 mai. alph. 2. pl. 21. fig. aen. 1.

Qui in anatomicis aeque ac phyſiologicis a quouis harum rerum perito magni omnino aeſtimatur,

matur, quiue tot tantisque laborum insignium testimoniis clarus est Ill. HALLERVS, nunc physiologiam, cuius primas tantum lineas ante aliquot annos edidit, perfectiorem multo inque suo genere absolutissimam fere edidit. Facile autem quiuis Lectorum nostrorum conuinci poterit, conuincitur autem, quanta ab hoc labore non solum nostrae aetati, sed et posteritati adeo expectanda forent emolumenta. Iste enim liber, cuius sane moles ad minorum classem minime referenda, hic inquam, quem recensendum nobis sumsimus, non omnia rerum physiologicarum momenta his paginis includit, sed octauam tantum earum partem sistit. Octo enim eiusmodi volumina si numeraueris, totum sane opus completum tunc esse, dices. Tot enim tomos laboris dignitas, inuentorum copia atque Ill. Auctoris perspicacitas requirit omnino. Quicquid autem a multis retro annis, dicerem seculis, summi in arte viri praestiterint, fida anatomes detexerit, morbosorum sectio confirmauerit, chemia eruerit aliaeque artes inuenerint, ea sane omnia hisce voluminibus Ill. Auctor complectitur. Quanta ergo artis emolumenta! Sed quod multo magis: Qui in anatomicis versatissimus inque diiudicandis rerum phaenomenis perspicacissimus est, isne eiusmodi laboribus ferendis par omnino existit? Ast ordinem tractationis commemoremus, necesse est. Breuibus proinde monemus, hunc esse eundem, quo olim Noster in componendis primis physiologiae lineis usus est. Itaque primo hoc Tomo, cuius rerum summam hic vides, fibrae et sanguinis historia continetur, haecque quatuor absoluitur libris. Primus eorum corporis humani elementa, fibram nimirum, telam cellulosam, membranam et adipem tradit; alter vasa describit, hinc arteriae, venae et vasa lymphatica explicantur. Tertius circuitum sanguinis ex corde in arterias, ex his in venas, et ex his in cor insimulque lymphae iter exponit.

Quartus denique in corde totus occupatus primo velamenta extus circumpoſita, dein auriculas, porro ipſam cordis fabricam, tum motum, denique cauſas motus recenſet. Haec ſunt, quae ibi pertractantur: ſed ſingula ſeorſim conſideremus.

p. 2. Fibra, quae a phyſiologo ut linea a geometra conſideratur, quaeque communis toti corpori materies eſt, multiplex elementorum genus comprehendit, quorum quaedam ſolida, quaedam fluida ſunt. Haec, non niſi igne aut putredine ab illis ſeiungenda, ſi diſcedant, terram relinquunt friabilem, indolis calcariae, cui portio quaedam ferri, firmitatem
p. 4. fibrae conciliantis, miſta eſt. Terrea haec elementa inter ſe nectuntur glutine, quod altera fibrae pars habetur. Iſtud ſi abeſt, nulla ultra datur cohaeſio et, in aliis plus, minus in aliis reperiundum, vario modo manifeſtum reddi poteſt. Inſunt ei aqua, oleum, ſal et aer, quae coniuncta vinculum elementorum conſtituunt, quod terrae iunctum fibram ſimplicem inuiſibilem efficit. Haec autem ſi lineae ſimilis cum aliqua latitudine elongatur, fibra tunc vulgo audit. Haecce elaſtica et exſanguis eſt, nunquam autem irritabilis aut ſenſibilis deprehenditur. Si cum fibrae longitudine latitudo augetur, lamina oritur, quae, ſi in minores diuidi nequeat, ſimplex vocatur.

p. 8. Ex fibris vel et laminis ſolis aut utrisque rete formatur, quod telam celluloſam vocant. Haec ubique deprehenditur, ſiue totum corporis habitum, remota cute, perpenderis, ſiue viſcera aut vaſa, ſiue demum muſculos integros aut quamlibet eorum fibrillam introſpexeris. Ipſam autem telam ſi examinaueris, innumeras in ea cauernulas, quarum una cum altera communicat, deprehendes, hinc etiam ex qualibet ſede in quamlibet regionem patulam viam reperies. Id aer, arte aut caſu inflatus, pus vel aqua,

aqua, intra corpus collecta, vel demum mirae illae corporum peregrinorum, in corpus introductorum et ex parte in aliam tranſeuntium, migrationes confirmant. Licet vero omnes cellulae in ſe mutuo pateant, in diuerſis tamen regionibus ſingulae cum aliis ſingulatim communicant, quae ideo tanquam propagines conſiderandae ſunt. Ita v. g. *alia propago per foramen ouale pubis ad femur cum vaſis obturantibus continuatur, alia per inciſuram iſchiadico-ſacram ad nates* etc. *migrat.* Quod denique ad utilitatem huius textus ſpectat, iſte in eo in primis conſiſtit, ut partes eo firmentur earundemque figura definiatur. Is enim ſi abeſt, partes reſiſtere neſciunt, nec debita etiam illis manet figura.

At vero, huic telae arcti limites circumſcripti p. 18.
non ſunt, ſed plurimarum certe partium ea mater eſt. Omnes enim partes, quae non ſolum membranae et vaſorum nomine veniunt, ſed quae ex his compoſita ſunt, viſcerum parenchymata, ligamenta, tendines, cartilagines imo ipſa oſſa ex ea conſtant. Sola ſane fibra muſcularis pariterque cerebri medullaris huiusque in neruis continuatio, aliam indolem habens a celluloſa tela non prouenit. Priora autem eo prouenire aeris inflatio inque aqua maceratio probat, remque claram omnino reddit. Ex membranis enim partes memoratas conſtare, illas autem ex celluloſa tela formari, eadem haec experimenta confirmant. Quae autem de membranis BOERHAAVIO ſententia eſt, ea ſane, rite examinata, valere ultro nequit. Iſte enim vaſa ex membranis, hasque ex vaſis compoſuit. Cum autem, iniectione peracta, magna vaſorum ſuperficies alba maneat, multaeque membranae, ut arachnoidea medullae ſpinalis, epidermis, atque nouae, morbo aut alio caſu generatae absque ullis vaſis reperiantur, ſane etiam patet, cur haecce ſententia ſtare ulterius nequeat.

p. 25. In ſpatiolis, quae inter telae fibras reperiuntur, humor aliquis reſidet, qui tenuis, halituoſus oleoque miſtus eſt. Minime tamen iſte adeps dicendus, ſed qui ſub hoc nomine venit, is in iis telae cauernulis, quae a laminis formantur, colligitur. Tela enim, quae ex fibra conſtat, adipe deſtituitur, et quae inter has ſunt ſpatia, ea vaporoſus humor replet. Qui ergo adeps vocandus eſt, primo conſpectu ſub globulorum alborum forma in omento, poſthac in reliquo corpore adparet. Ita tamen in foetu nondum maturo reperitur, quam primum autem homo natus eſt, primis tunc annis adeps multus et glebuloſus, iſtaque aetate plus quam adultiori, in qua quippe imminuitur, adparet. Circa quadrageſimum autem annum copioſe iterum colligitur, tandem circa annos ſeniles rurſus imminuitur, aliamque et pri-
p. 27. mam foetus formam induit. Adeps praeterea multis deeſt partibus, atque iis in primis, ubi minima compreſſio nocet, ut in cerebro, aut ubi ſenſus acuties requiritur, ut in glande penis. Aliae autem partes, ut muſculi grandiores eo contra abundant. Idem porro in hominibus animalibusque carniuoris viuis fluidus eſt, durior contra in iis, quae gramine veſcuntur: Interdum tamen et inter homines et animalia, herbis paſta, reperiuntur, quibus adeps induratus eſt. Differt de reliquo adipis conſiſtentia, prout animalia diuerſa eſſe ſolent. In aliis enim plus, minus in aliis deprehenditur.

p. 30. Aquam, oleum et liquorem quendam acidum, auſterum, empyreumaticum partes adipis eſſe, chemia docet, ita tamen ut olei copia maxima, aquae minima ſit. Videtur igitur adeps chyli et vegetabilium naturam retinere, quod eo magis patet, ſi attendatur, animalia graminiuora obeſiora ſemper obſeruari, quam carniuora, idque quidem eam ab rationem, quia illa acidam naturam integram conſeruant. Quod ex deſtillatione remanet, carbo eſt, qui combuſtus

buſtus terram, nunquam autem ſalem fixum exhibet. Loca, ubi adeps colligitur, cellulae ſunt, a fibris et laminis formatae, in quas iſte non per glandulas nec etiam per ductus proprios deponitur, neque enim hos, neque illas dari, experimenta probant, ſed, cum arteriae ubique cellulas has perreptent, inque illarum lateribus pori reperiantur, adeps ergo per hos tranſit et in cellulis colligitur. Talem autem exſudationem dari varia anatomes experimenta, ſanguinis per poros tranſeuntis morboſa collectio aliaque obſeruata docent. Cumque adeps chyli naturam habeat, iſte autem in ſanguine fluens ſaepe repertus ſit, facillimus etiam adipis ex ſanguine in cellulas intelligitur tranſitus. p. 33.

Aſt, quicquid corpori quietem conciliat, ut laboris et curae abſentia, imo quicquid vires circulationis pulſusque crebriores imminuit, ut venae ſectio crebra et caſtratio, id omne adipis collectioni et augmento anſam praebet. Docent id animalia, motu priuata, docent alia. Cum autem venis pari ratione ac arteriis pori ſint, per varia experimenta demonſtrandi, via inde etiam datur, per quam adeps ex cellulis intrat. Quod ſi vero hic intrare debeat, neceſſe eſt, ut fluidior iſte fiat, ipſaeque viae pateſcant. Praeſtat id omnis motus in ſanis, febris in morboſis, utrumque vero obſeruata confirmant. Verum et ipſorum alimentorum indoles idem hoc efficit. Licet enim per alimenta adeps augeatur, horum tamen quaedam etiam ſunt, quae collectum imminuunt. Spectant huc omnia etiam acria, ut Guaiaci decoctum, tabaci manducatio, alia. Num acetum quoque? vix videtur. Aſt inedia adipem pariter conſumit, ſique iſte exhauſtus tunc eſt, gelatina poſthac aut lympha ob viſcerum, ciborum naturam vix immutantium, languorem ſuccedit. Adipis utilitas pariterque neceſſitas magna habetur. p. 39.

Partes

p. 44. Partes enim, eo praeſente, mobiles ſunt, ipſe dein concretioni obſtat, quaeque porro frictioni ma de obnoxiae ſunt partes, eum copioſe circumfluam habent, tandem autem iſte frigus arcet, partemque ab eo defendit. An autem reſorptus adeps alit? certe vix affirmari poteſt. notetur potius, ſubito iſtius reſorpto blandam ſanguinis indolem minime conſeruari, febresque calidiſſimas inde oriri. Idem hoc etiam de medulla, oſſium adipe, valet. Iſta enim non nutriuntur oſſa, ſed fibrae eorum et laminae eo inunguntur, fragilitas minuitur, conciliatur flexilitas. Vti vero adeps, modice collectus, multa praeſtat utilitates, ita nimis auctus varia contrahit vitia. Sic ſenſus acuties in multis partibus tollitur, muſculi, quorum quippe fibrae a ſe inuicem diſſoluuntur, ad motum inepti fiunt, ſanguinis copia imminuitur, vaſa viſceraque comprimuntur, a quo autem vitio varius morborum ortus aut etiam mors, prout pars fuit, dependet.

p. 53. Secundus liber vaſa conſiderat; hinc arteriae primo ſe offerunt. Hae, ut omnia vaſa, ex cellulofo contextu formantur, et ſi ſecantur, circulares apparent. Conicae dicuntur, quatenus aorta ceu unicus ramus ad minima uſque conſideratur: Accuratius autem ponderata arteria ſeries cylindrorum eſt. Dantur non nullae, quae ad diuiſionem, ubi ramus e trunco exit, in progreſſu latiores fiunt et diuergunt,
p. 59. capillares vero arteriae ſemper cylindricae ſunt. Color earum albus eſt in maioribus, ruber in minimis, atque membranarum, quae arterias conſtituunt, aliae acceſſoriae ſunt, aliae propriae. Illae nunquam vere dici poſſunt, ſed inuolucra tantum ſunt, quae a cauitatum quarundam membranis proueniunt ſeque circa arterias duntaxat voluunt. In artuum enim aliarumque partium arteriis iſtae ſemper abſunt. Aſt aliud inuolucrum idque quidem conſtans et cellulo-

ſum

ſum quamcunque arteriam ambit. Textus hic cellulosus arterias non ſolum firmat, ſed et flexuoſas interdum factas in tali ſtatu retinet, ita, ut eo poſthac remoto quaelibet arteria ſe ipſa longior fiat. In hoc contextu interdum nerui et vaſcula cernuntur, inde membrana vaſculoſa et glanduloſa peculiares membranae non ſunt, ſed celluloſae tantum cognomina. Quae laxam hanc celluloſam ſequitur membrana, arctior eſt et muſculoſis fibris valde adhaerens maceratione in lamellas et fila ſecedit, dumque celluloſum contextum denſiorem conſtituit, celluloſa hinc proprie vocatur. Hanc excipit muſculoſa vera, cuius fibrae circulares quidem ſunt, integrum tamen circulum minime abſoluunt, et in omnibus arteriis reperiuntur; longitudinales vero nullae ſunt. Inter hanc membranam et ultimam, quae tenuis eſt et laeuiſſima, quaeque neruea dicitur, celluloſus iterum textus reperitur, qui breuis eſt et interior nuncupatur, atque muſculoſam cum neruea connectit. Ca p. 66.
uitas arteriarum interna laeuis eſt nec valuuloſa, et ubi rami exeunt, duo arcus cernuntur, quorum inferior a congeſtis fibris circularibus, nexum tunicae tendineae et carneae firmiorem reddentibus formatur.

Arteriae arteriolas habent, non a ſola coronaria, p. 67.
ſed aliunde etiam prouenientes, quas pariter comitantur venulae, quae in aorta a venae ſine pari ſurculis, in aliis ab aliis procedunt. Neruuli praeterea p. 69.
arterias perreptant, in umbilicalibus vero et placentalibus plane nulli ſunt, omnesque arterias inſenſiles eſſe, experimenta docent. Arteriae vim contractilem habent, haecque non a corde dependet, ſed in ipſa arteriarum fabrica quaerenda eſt. Licet autem venena quaedam, in experimentis adhibita, ut ſpiritus vini, ſuccus tithymali etc. vim iſtam minime claram reddant, tamen non deſunt alia, per quae eadem vis probatur. Robur arteriarum et denſitas, a p. 72.

craſſitie

craſſitie celluloſae fabricae dependens, admodum variat, et in aliis maior aliisque minor, et in aorta debiliſſima, imo debilior ſemper in truncis quam ramis obſeruatur. At ſolidi, membranarum ſcilicet arterioſarum ratio ad fluidum h. e. columnam ſanguineam, non eadem ubique eſt, inque ramis, denſiores licet ſint, minor tamen quam in truncis habetur, hinc fluidi portio ad ſolidum ſemper maior eſt.

p. 75. Arteriae, paucis membranis exceptis, ubique in corpore praeſto ſunt, et ita locantur, ut tutae ſatis a vulnere eſſe poſſint. Hinc ubi venae ſunt, non aeque arteriae reperiuntur, ubi vero tutum ſatis iter eſt, ibi et venae et arteriae ſimul decurrunt. Ad, ſi arteriam ab ortu ad finem uſque proſequimur, hanc absque diuiſione integrum tubum non conſtituere, ſed varie diuidi, animaduertimus. Rami ergo, truncō diuiſo, oriuntur, haec tamen diuiſio non in infinitum progreditur, ſed diuiſiones numerum vigeſimum vix excedunt. Vt autem rami truncis denſiores cernuntur, ita etiam eorum lumina coniunctim ſumta, lumine trunci maiora ſunt. Anguli, quos rami cum truncis conſtituunt, plerumque acuti ſunt, in aliis plus, minus in aliis, nunquam tamen certus atque conſtans obſeruatur ordo, nec unquam etiam

p. 84. recti apparent anguli. Flexiones arteriarum variae ſunt, et oriuntur quaedam, quando arteriae plenae ſunt, aliae, prout partes, quas perreptant, mutantur, hinc etiam rectae fere fiunt, antea flexuoſae, in utero, ſi grauiditate is extenditur. A natura tamen rectae reperiuntur nullae, imo adeo ſaepe replicatae cernuntur, ut inſignes, velut in carotide, ornentur

p. 86. anfractus. Coniunctiones arteriarum frequentiſſimae ſunt, ita ut vel trunci confluant, unumque hinc conſtituant, aut ramus inter duos truncos intercedat, hosque coniungat. Quando autem duo trunci e diuerſo ſibi occurrunt et coniunguntur, ita tamen, ut ſanguinis flumina ſibi inuicem occurrant,

alia

alia tunc trunci fit directio, oriturque arcus. Creberrime autem arteriarum rami minores inter se communicant, ita ut in toto corpore libera sit ubique sanguinis via.

Fines arteriarum varii sunt: Primo nempe istae absque spatio spongioso aut parenchymate intercurrente in venas terminantur, idque probant microscopia aeque ac liquores in arterias iniecti, quippe qui ex his in venas transeunt, hasque replent. Cur autem iidem liquores in venas iniecti non aeque in arterias penetrent, alia ratio est. Partim enim valvulae, in venis reperiundae, partim infinitae venarum anastomoses id impediunt. p. 91.

Alio deinde fine arteriae desinunt in ductus excretorios, canales venae similes, sed minoris diametri, sanguineque tenuiorem humorem vehentes, neque hunc ad sanguinem reducentes. Licet autem microscopia hos ductus non detegant, iniecti tamen liquores, aliaque a natura oblata experimenta, ut urina, absque vasis ruptis sanguinea, lac rubicundum aliaque viam istam confirmant. p. 98.

Desinunt porro in vasculum exhalans, ita, ut interdum ipse sanguis in spatia celluloſa, velut in pene, effundatur, aut humor tenuis, vaporis forma, in caua corporis maiora, aut per cutem aut denique in glandulam exsudet. p. 102.

Omne id iniectione liquorum aut sanguinis effusione morbosa probatur. p. 108.

Desinunt tandem in vasa minora, atque quidem in vas lymphaticum dictum, demum in arteriam non rubram. Prius liquoris in arterias iniecti transitus in vas istud, ipsaque lympsa, rubicunda interdum reperta confirmant; posteriorem vero, arteriam nimirum non rubram, iniectiones pariter partiumque praeternaturalis rubor probant, ut vasculum, conspicuum nunc factum, in omnibus cum arteria conueniat, excepto eo, quod liquorem non rubrum vehat. Vas ergo lymphaticum arteriamque non rubram

bram veras arteriae rubrae continuationes eſſe, experimenta dictitant, ſuadent alia phaenomena.

p. 113. Qui error loci BOERHAAVIO dicitur, quaeque hinc inflammationis cauſſa ab eodem aſſumitur, de his ſane dubitatur. Si namque globulus ſanguinis arteriam non rubram intret, errorem inde loci fieri, BOERHAAVIVS aſſeruit. Verum, ſanguinis globulum ſolitarium pellucidum eſſe, ſanguinemque etiam vaſa non rubra intrare, absque eo, ut obſtructio naſcatur, experimenta et obſeruationes oſtendunt. Obſtructio autem, quam ab errore loci oriri, hincque inflammationis cauſſam efficere magnus ille Vir putauit, vera inflammationis cauſſa non eſt. Ab impacto enim ſanguine vaſa ſi obſtruuntur, ſanguis ad hanc ſedem non acceleratur, ſed vel vias liberas percurrit, vel in trunco quieſcit. Aſt ſanguinem in celluloſa ſpatia effuſum veram inflammationis cauſſam dare, nunquam in obſtructione conſiſtentem, ſtatuendum eſt. Pari quoque ratione et altera de vaſis tertii minorumque generum BOERHAAVII ſententia refutatur. Series enim continuo decreſcentes non dari, variae rationes et experimenta ſuadent. Hinc pariter etiam inflammationem, non ſanguineam dictam, minime dari, ſequitur.

p. 120. Venae, altera vaſorum ſpecies, nunc conſiderandae ſunt. Harum duo tantum trunci vulgo numerantur, ſunt vero ſex. Deprehenduntur enim pulmonales quatuor, venaeque cauae duae, a quibus ultimis, pulmonem ſi excipias, reliquae partes omnes nanciſcuntur ramos. Venae, ut arteriae, omnicae ſunt ultimaeque pariter, ut arteriolae, cylindricae, ibidemque ramorum lumina, trunci lumina

p. 124. ampliora. Differunt ab arteriis colore coeruleo ipſaque fabrica et fibris, quippe quae circulares non ſunt. Membrana intima, lubrica et laeuis, absque fibris et poris eſt; media fibras longitudinales, nullas vero contractiles habet, excepto venae cauae principio, quod

quod muſculoſum eſt, ſeque contrahit. Tubercula praeterea tendinea fibraeque, ex calloſa tela celluloſa factae, ibi cernuntur. Mediam hanc celluloſa, ut in arteriis, tela, ambit, ſed tenuis, cui acceſſoriae, a cauitatum membranis, ut pleura etc. prouenientes incumbunt. Arterias et venulas in hac decurrere, certo liquet, nerui vero demonſtrari nequeunt. Acido minerali tactae venae irritabiles apparent, neque ita ferro aut inflammatione laceſſitae. Earum praeterea tunicae tenuiores quidem, aſt denſiores ſunt arteriarum tunicis, ita, ut facilius longe absque ruptione dilatari poſſint, ad viſcera tamen euntes arteriae venis robuſtiores ſunt, perque aetatem venarum robur etiam decreſcit, arteriarum contra augetur. Licet autem denſiores venae ſint, hae tamen, cum facilius diſtendantur et intumeſcant, inde etiam ſaepius quam arteriae rumpantur. Lumina venarum, p. 131.
cum arteriarum luminibus comparata, his maiora ſunt, exceptis venis pulmonalibus; reliquarum vero omnium diameter, accuratius conſiderata ad arteriarum diametrum, ſemper fere uti 9 ad 11. ſe habet. Et numero quoque venae arterias ubique ſuperant, paucis exceptis, ut in funiculo umbilicali, ubi una vena et duo arteriae reperiuntur, in hoc tamen aliisque exemplis ſimilibus venarum diameter numerum compenſat. Decurſus venarum inter- p. 134
dum eſt cum arteriis, interdum autem absque his, cuti tamen illae ſemper propiores reperiuntur. Ana- p. 135.
ſtomoſes venarum plures ſunt, quam arteriarum, minus tamen flexuoſae apparent venae quam arteriae.

Valuulae, quippe quibus venae ab arteriis diffe- p. 136.
runt, in plerisque venis reperiuntur, ſanguinisque motum regunt. Sunt hae ipſae nihil niſi membranulae in caueam venae ab huius membrana intima productae, tenues quidem, aliquo tamen robore inſtructae. Quae cum vena cohaeret valuulae pars, robuſtior et durior eſt et Agger dicitur, quodque

inter valuulam et venam reperitur cauum, ſinus audit. Solitariae interdum ſunt valuulae, ſaepe geminae, raro ternatae, rariores quadrigeminae, his etiamnum rariores quinatae. Priores, ſolitariae nimirum et binatae, ſemper deprehenduntur, poſteriores autem hinc inde ab anatomicis annotantur, non ubique vero reperiuntur valuulae: In inferiori enim vena caua, in tota portarum vena, in venis uteri, viſcerum aliisque minoribus, quarum diameter linea minor eſt, deprehenduntur nullae. Attamen in inferioris venae cauae ramis inque hypogaſtricis, femoralibus cruralibusque numeroſiores adſunt. In vena ſine pari interdum reperiuntur, interdum autem abſunt, aſt in vena caua ſuperiori eiusque ramis, venis iugularibus, ſubclauiis et brachialibus plus minus numeroſae adſunt. Hiſce igitur obſeruationibus clarum nunc fit, externas et perpendiculares venas valuulis inſtrui, interiores vero profundas viſcerumque venas iisdem deſtitui.

p. 150. Ortum ducunt venae varium: Primo namque ex arteriis continuantur, deinceps ex celluloſa tela exeunt. Hunc ortum probant humores, ut ſanguis in cellulas penis effuſus, aliique reſorpti. Venae porro ex magnis caueis oriuntur, idque v. c. pus aut aqua in abdomine collecta vel et mel in pectoris cauum iniectum, poſtea reſorptum probant. Eadem ratio in minoribus etiam caueis, ut ventriculo, inteſtinis etc. valet. Ex venis tandem tenuioribus, ut vitrei cryſtallinae humoris venis pellucidis, venas rubras oriri, ratio omnino dictitat. De venis denique quibusdam notandum, dari quasdam, quae in arterias mutentur. Has autem ſi quaeras, in pulmone venas vere in arterias mutatas eſſe, reperies.

p. 156. Tertium vaſorum genus vaſa lymphatica conſtituunt. De his nullus ultra hodie dubitat, eademque, antiquiſſimis iam temporibus, HIPPOCRATI, ARISTOTELI aliisque, cognita fuiſſe, paſſim legi-

tur.

tur. Licet vero de eorum praeſentia in corpore animali nullum nunc dubium ſuperſit, ea tamen in omnibus partibus reperiri, nondum euictum eſt. Membrana horum vaſorum tenuis eſt et oculo armato duplex apparet. Habent eadem valuulas numeroſas, facile diſtendendas, ob quam etiam rationem nodoſa fiunt, ſicque depinguntur. Irritabilia ſunt p. 165. iſta vaſa, atque hac natura vaſa rubra longe antecellunt, atque ortus eorum in arteriis, venis, ductibus excretoriis, celluloſa tela magnisque caueis quaerendus eſt. Radiculas enim ibi depangi, tenuemque humorem ab iis ſuſcipi, experimenta docent. An vero ex venis minoribus non rubris vel et a neruis oriantur, demonſtrari non poteſt. Num ex glandulis conglobatis? certo ſtatuendum haud eſt.

Iter horum vaſorum verſus pectus dirigitur. Ita p. 170. namque vaſa lymphatica, quae in artubus inferioribus, inguine, pelui, abdomine, renibus et hepate reperiuntur, ad lumbos in inſignem faſciculum confluunt, eique alia iterum ſe miſcent, tandemque unum praecipuum ductum conſtituunt, qui interdum ſimplex interdum duplex eſt, ductusque thoracicus nominatur, et chylo et lymphae receptaculum praebet. In hunc ductum vaſa lymphatica pectoris, artuum ſuperiorum, atque ea etiam, quae a capite proueniunt, ſe inſerunt. An autem iſta vaſa in cerebro et medulla ſpinali reperiantur, experimenta nondum declararunt. Licet vero ſint, qui dicant, praeter ductum thoracicum vaſa lymphatica in venas terminari, id tamen minus probabile multoque minus certum videtur. Ea enim inſertio vix unquam per experimenta certa probatur, maxime autem obſtat ratio. Nunquam ſcilicet minimae, etiam rubrae, venulae in maximos ſtatim truncos immittuntur, ſed in venas, ſenſim maiores, colliguntur. Hinc et ob analogiam concludendum eſt, vaſa lymphatica minima in maiora ſenſim, poſtmodum in

ductum thoracicum confluere, prius quam lympha ſanguini reddatur.

p. 180. Glandulae, quarum hiſtoria a vaſorum lymphaticorum doctrina ſeiungi prorſus nequit, corpora ſunt oblonga, oliuae figura, interdum ſimplicia, interdum in aceruos collecta, in foetu pallide rubella, inque adulto ſature rubra. Membrana una, firma, duriuſcula, vaſis ſanguineis referta glandulae obtenguntur, qua remota, celluloſa tela mollis, flexilis, vaſis ſanguineis inter textis, apparet, et glandulae fabricam in primis conſtituit. Num autem acini vel glandulae nec non folliculi in hac tela ſint, veritati non conſentaneum eſt: Succus tamen in glandulis, inque quidem cellularum areolis reſidet, albus, ſeroſus, lacte tenuior. Vaſa tum arterioſa tum venoſa plura per ipſam glandulae fabricam diſſeminantur, perpauci vero nerui eas adeunt; quos tamen vere inesſe, obtuſus glandularum ſenſus, quoties aegrotant, probat. Vaſa lymphatica ad glandulas accedunt, exque his iterum exeunt, maiora ſaepe facta. A vaſculis autem aduehentibus per telam celluloſam effunditur ſuccus, qui lympha dilutus ab aliis vaſculis reſorbetur et abducitur.

p. 187. Vtilitas glandularum, per maiorem corporis partem copioſe reperiundarum, in iuniori animali maior eſt, quam in adulto, atque in eo conſiſtit, ut fucco illo lacteo lympha diluatur. Num vero glandulae lymphae motum adiuuent, merito dubitatur. Nulla enim fibra muſcularis, nec etiam irritabilis natura, ad excitandum motum neceſſaria, demonſtrari poteſt.

p. 195. Ad ſanguinis circuitum quod pertinet, eum ex corde in arterias, ex his in venas, exque his iterum ad cor tranſire, tertius nunc liber exponit. Sanguis in arteriis perpetuo reperitur, nullus autem niſi praeter naturam in iis deprehenditur aer, imo nec a mor-

te

te arterias inanes esse, sed sanguinem, pauciorem tamen, in iis deprehendi, cadauerum sectiones confirmant. Sanguinem vero, animali viuente, a corde in arteriarum truncos, ex his in ramos, demum ex his in vasa minima fluere, varia experimenta ostenstunt. Inter haec vincula, arteriae alicui circumligata, rem claram omnino reddunt. Ligata enim arteria inter cor et filum intumescit, sanguine valde impletur, caerulea fit, tuncque perforata, sanguinem cum insigni vehementia eiicit. Quae autem infra vinculum est arteriae pars, pallet, detumescit, collabitur: Caute tamen experimentum hoc instituendum est. Ob anastomoses enim accidere potest, ut, arteria licet ligata, sanguis tamen infra vinculum effluat, nullusque pariter super ligaturam oriatur tumor, quia per proximos, quos cautus dein videt, ramos liberos nec ligatos sanguis transit. Licet autem motus sanguinis retrogradus interdum obseruetur, id tamen non nisi in morbido aut moribundo, nunquam autem in vigente animali euenire, certo statuendum est.

Venosi sanguinis iter arterioso contrarium est. p. 203. Fluit enim iste ab extremis versus cor, cum tamen in arteriis a corde versus extrema idem progrederetur. Probant istud iter valuulae venarum, quarum quippe pars conuexa extrema, sinuosa autem cor respicit. Vtilitas earum praecipua est, ut omnis sanguis, actione musculorum pressus, versus cor urgeatur; quam rem iniectiones anatomicae contra has valuulas impulsae inque nodos eas distendentes confirmant. Licet autem contrarium per experimenta interdum ostendatur, veritati tamen istius asserti nihil quidquam detrahitur, si attendamus, venas interdum non satis accurate a valuulis claudi. Alius denique valuularum usus in sanguinis sustinendo pondere consistit, ita, ut si duplicem sanguinis intra venam tibi fingas columnam, superior contra inferio-

rem minus nitatur, neque ergo circuitus retardetur. Quanquam autem natura huic impedimento prospexit, interdum tamen ob causſas quasdam, minus naturales, ſanguis ad valuulas colligitur, qui latera venarum diſtendit, et ſic dictas varices efficit.

p. 209. Sanguinem ab extremis ad cor tendere, vincula, artubus circumligata demonſtrant. Tumor enim intra vinculum et artus oritur, qui contra intra ligaturam et cor abeſt. Idem hoc compreſſio docet. Ita namque fortiter adſtricta collaria venas iugulares tumidas, oculosque rubros reddunt; ſique porro attendamus, narium haemorrhagiam et haemoptyſin artubus ligatis compeſci, aliud eapropter argumentum exoritur. Rem hanc venae nudatae et ligatae clariorem reddunt, eaedemque inter vinculum et artus tumentes ſanguinis iter verſus cor manifeſtant omnino. Quae experimenta oſtendunt, confirmant morbi. Sic v. g. polypus in auricula cordis dextra venas iugulares tumidas efficit. Verum fieri interdum ſolet, ut vena, licet ligetur, minus tamen inter vinculum et cor depleatur; aſt ramuli tunc veno-ſi, non ligati, ſanguinem continuo afferentes ſcrupuloſius examinanti patebunt. Sique porro acidum quoddam coagulans in venam immiſeris, coagulum, inde ortum, verſus cor procedere, videbis. Microſcopio tandem ſi utamur, ſanguinem verſus cor fluere, clare perſpicimus. Quae autem de ſanguinis retroceſſione in venis obſeruata hic opponunt, ea ſane magni momenti non ſunt, ſiquidem iſta in languido et moribundo, nunquam autem in ſano vegetoque animali fieri ſolet.

p. 217. Cum itaque clare nunc pateat, ſanguinem in arteriis a corde, in venis autem verſus idem fluere, hasque cum illis communicare, ſequitur proinde, ſanguinem a corde in arterias, ex his in venas atque ex his demum in cor tranſire. Probat id arteria vincta et vena poſthac inanita. Niſi ergo ſanguis ad cor rediret,

rediret, hocce demum omni ſanguine deſtitueretur. Cum enim cor omni momento ſanguinem dimittat, neceſſe omnino eſt, ut iſte iterum ad cor tendat. Et niſi etiam ſanguis ex arteriis in venas tranſiret, nunquam ſane vulnera vaſorum maiorum, multo minus minorum, ut in haemorrhagiis dentium, narium etc. interdum accidit, ſanguinem in tanta copia aut omnem pene emitterent, nec animalia quoque viribus inde exhaurirentur. At vero, ſanguinem ex venis in cor et, circuitu demum per pulmones peracto, in arterias demum venire, clarius omnino varia in venas probant infuſa. Ita venena, ſanguini venoſo mixta, poſt pauca minuta animal occiderunt; vinum, in venas canis immiſſum, animal hoc inebriauit, coagulantia, in venas introducta, ſanguinem coagularunt, quo dein in cor veniente animal periit. Narcotica paulo poſt infuſionem vim ſuam oſtenderunt in capite, emetica per vomitum, laxantia per alui deiectiones, diuretica per mictum crebriorem aliaque per totum corpus deleterio, alia autem, vi medicamentoſa praedita, ſalutari effectu ſe manifeſtarunt. Licet autem, ob periculum, ultima haec per hanc viam in corpus immittere, minime ſuadendum ſit, hiſce tamen olim tentatis, illisque cunctis hic tantum probatur, omnia iſta in venas miſſa ex his ad cor veniſſe, ex hoc autem per pulmones in arterias tranſiiſſe, ita, ut diuerſi dein oborirentur effectus. p. 225.

Aliud porro argumentum, maius omnino, ex ſanguine transfuſo ſumitur. Animalis nimirum vena ſecta omnis ſanguis eductus fuit, ita, ut omnia vaſa prorſus inanirentur; aperuerunt dein alius arteriam, cui tubulum, cum prioris animalis vena communicantem immiſerunt, ſicque omnis ſanguis ex alterius arteria in prioris venam tranſiit. Quo facto prius animal vires recuperauit vegetumque vixit. Huius experimenti, ſanguinis nimirum ex animali in animal transfuſi inuentores fuerunt Angli, quos dein p. 232.

imitati ſunt Galli. Hi autem primi ad reſtaurandas vires morbosque profligandos in homine transfuſionem tentarunt, in paucis felici, in plurimis contra triſti cum euentu, ita, ut publico etiam edicto in Gallia et Italia proſcriberetur transfuſio.

p. 236. Vltimi tandem itineris ſanguinis ex arteria in venam teſtes ſunt oculi. Hi enim armati ſanguinem ex arteria, cum vena communicante, in hanc fluere, manifeſte animaduertunt. Primus, qui hoc vidit, fuit MALPIGHIVS, poſt hunc LEEVWENHOECKIVS, tum Anglorum non nulli, tandem alii; quorum omnium teſtimonia vera pronunciat Ill. Auctor: Ipſi enim, quod illi affirmarunt, vidiſſe contigit.

p. 240. Gloria inuentionis itineris ſanguinei, unice debetur HARVEIO; neque HIPPOCRATIS neque alii ſanguinis circuitum habuerunt cognitum, licet etiam ſint, qui et his et illi gloriam inuentionis tribuant. Cuncta enim argumenta, quae proferunt, rite examinantes veritati minus conſentanea imo fraudulenta aeſtimabunt. Quanquam autem res experimentis clara omnino fuit, eo tamen tempore non defuerunt, qui HARVEIANO inuento aduerſarentur. Aſt omnia, quae oppoſuerunt, debili nituntur fundamento, facileque a quouis euerti poſſunt. Alii contra, vel HARVEII tempore vel paulo poſt viuentes, perſpicaciores fuere inuentum ſtatim agnoſcentes, noſtroque tempore nullus ultro eſt, qui de circuitu ſanguinis, ab HARVEIO inuento, dubitare audeat.

p. 250. Lympham ex minimis vaſis pellucidis ad ductum thoracicum vehi, oſtendunt vincula. Tumet enim vaſculum inter haec et extrema, contra vero collabitur et euaneſcit inter cor et ductum. Idem hoc confirmat valuularum ſtructura. Eadem enim lymphaticis eſt, quae venis, earumque ſinus ductum thoracicum, conuexa vero pars extrema reſpicit. Inde etiam fit, ut liquor iniectus aut aer impulſus ab inferioribus

ſerioribus facilius quam a ſuperioribus verſus inferiora penetret. Accidit tamen aliquando, ut liquore, a ſuperioribus iniecto, valuulae cedant; hinc etiam ASELLIO error natus fuit, opinanti, lympham a ductu thoracico verſus minima vehi. Licet autem quaedam valuulae cedant, paulo tamen poſt liquor ſeu aer haeret, vaſa extendit, et viri iſtius errorem facile manifeſtat. Idem hoc iter liquori in venis minoribus rubrum ſanguinem non vehentibus eſſe, analogia ſuadet. Si enim arteriae v. g. non rubrae lenti cryſtallinae humorem continuo afferunt, ſequitur omnino venas dari, humorem reſorbentes et reuehentes. Iſte enim, aliter non diſſipandus, lentem inſigniter diſtenderet, molemque eius augeret.

Quartus liber, in corde occupatus, primo eius p. 256.
velamenta extus circumpoſita deſcribit. Cum itaque cor in thorace poſitum ſit, is autem membrana intus inueſtiatur propria, pleura dicta, haec inde ſtatim conſideranda venit. Simplex ea, nunquam duplex eſt membrana, ex tela celluloſa conficitur et ad dorſum robuſtior eſt, quam ad ſternum. Formantur ex hac duo ſacci, quorum dexter breuior aſt latior, ſiniſter vero longior eſt. In medio pectoris iſti ſacci ad ſe inuicem accedunt, et mediaſtinum formant, idque, inter ſternum et pericardium conſpiciendum, anterius dicitur, quod autem pone pericardium ad dorſi vertebras eſt, nuncupatur poſterius. In anteriori inter duas, quibus formatur, laminas cauea eſt, quae thymum, adipem multum, glandulas conglobatas, arteriarumue mammariarum truncos continet. Inter poſterioris autem laminas oeſophagus et glandulae conglobatae, inque eius ſuperiori parte trachea, arteria et vena pulmonis, azygos et aorta reperiuntur. Aliter tamen ſe res habet in brutis. Vaſa praeterea tum arterioſa tum venoſa

poſſidet, quae a variis in pectore reperiundis vaſis proueniunt.

p. 266. Pericardium, quod mediaſtino obtegitur, cumque eius laminis ope telae celluloſae connectitur peculiaris eſt ſaccus, a mediaſtino non formatus, et diaphragmati in homine tantum, ob ſitum erectum, incumbens huic et vaſis magnis, minime autem cordi, adhaeret. In hoc, pericardio, ſex ſeptem vel octo reperiuntur foramina, per quae vaſa exeunt aut intrant; et coeci praeterea in eo deprehenduntur apices, qui cornua dicuntur. Pericardium membrana eſt omnium robuſtiſſima, fibris deſtituta et ex ſola tela celluloſa facta, quae ex unica duntaxat lamina conſtat, exterius celluloſitate aliqua cincta. Falſum itaque eſt, eam ex duabus, tribus aut pluribus componi, eandem autem muſculoſae naturae non eſſe, experimenta oſtendunt. Pericardium enim ſcalpello aut oleo vitrioli irritatum nunquam contrahitur. Ar-

p. 278. teriae et venae, quibus hoc donatur a variis ibi adiacentibus truncis proueniunt, neruuli vero iſtud tantum penetrant et ad cor abeunt; hinc obtuſa

p. 280. aut nullus ei ſenſus eſt. Aqua autem pericardii licet a quibusdam negetur, accuratioris tamen anatomes experimenta eius praeſentiam in homine non ſolum ſed et in omnibus animalibus oſtendunt. Haec aqua tenuis, gelatinoſa coagulabilis ideoque eadem fere eſt, quae lympha, ſique ſpiſſeſcit varia mala producit, quare fit, ut diſſectis hominibus cor interdum fibroſum, piloſum, hirſutum et fungoſum appareat: Imo ob eandem hanc cauſſam, lympham nimirum inſpiſſatam, celluloſa quaſi tela, ſed vitioſa, naſcitur, quae cor cum pericardio nectit, ita, ut difficulter dein hoc ab illo ſeparetur et tam arcte undiquaque interdum ei adhaereat, ut non nulli inde decepti cor absque pericardio repertum eſſe, dixerint.

Magna

Magna autem pericardii utilitas eſt, quae in eo p. 290.
conſiſtit, ut cor firmetur, neque dextrorſum neque
ſiniſtrorſum vacillet, ideoque motus ſemper ſeruetur aequabilis. Verum aqua pericardii interdum etiam morboſe colligitur et augetur, isque ſtatus tunc hydrops pericardii audit, a quo autem varia mala dependent. Ita enim pulſus inaequalis, cordis palpitationes, reſpiratio difficilis, decubitus moleſtus et alia obſeruantur complura. Itaque aqua iſta nec nimis parca nec etiam copioſa coalitionem pericardii cum corde impedit, et frictionem eius moti temperat. Fontes, ex quibus aqua haec manat, neque in ductu thoracico neque in thymo nec etiam in glandulis conglobatis multo minus autem in glandulis, pericardio falſo adſcriptis, ſed unice in ultimis arteriolarum emiſſariis quaerendi ſunt; ex quibus vaporis ſpecie lympham iſtam effluere, varia experimenta oſtendunt, quae etiam venarum, a quibus illa lympha reſorbetur, praeſentiam inſimul probant.

In hoc pericardio locatur muſculus cauus, ſan- p. 297.
guinem in maximas animalis arterias expellens, qui cor dicitur. Hoc omnia animalia quadrupeda, aues, piſces et inſecta gaudent, in non nullis tamen, ut in polypis, ſpongiis, alcyoniis aliisque marinis zoophytis non obſeruatur, et in uniuerſum abeſſe dicitur, *quoties totum animal unum continuumque inteſtinum eſt, tum in omnibus beſtiolis, quae nulla a toto reliquo corpore diuerſa vaſa, propriis percurſa humoribus, nacta ſunt.* Cordis figura in homine conica eſt, et, ut conus, baſin hic cutem variis additamentis auctam, nec non mucronem quoque habet, qui bicollis eſt, ex duorum quaſi conorum apicibus, crena diuiſis, formatus. Locatur cor in ſiniſtro thoracis p. 301.
latere, eiusque baſis vertebras, apex coſtas oblique reſpicit, inferior vero eius facies pericardio incumbit, et unice cum reliquo corpore per vaſa connectitur. Alium habet ſitum cor in quadrupedibus,

quippe

quippe in quibus, ſupinis, baſis ſuperior capitique propior, apex vero inferior ſeu abdomini vicinior reperitur. Inde igitur factum eſt, ut erronea illa dextri et ſiniſtri ventriculi vox oriretur, quae quidem res in brutis nunquam autem in homine vera eſt: Mutat tamen cor et in homine ſitum, prout ille corporis ſitum varie mutat. Aliter ſi cor locatum reperitur, pro naturali tunc minime habendus, ſed ſemper vitioſus eſt dicendus ſtatus.

p. 304. Auriculae ſunt duae cordis appendices, ſanguinem venoſum recipientes, quae in omnibus animalibus, calido ſanguine duplicique cordis ventriculo praeditis, duplices ſunt; quibus vero ſanguis in vaſis frigidus unusque tantum ventriculus eſt ut piſcibus pluribus imo et quadrupedibus ouiparis, ea unica
p. 307. duntaxat auricula gaudent. Auricularum anterior dicitur dextra, et venis cauis annectitur, quarum inferior valde breuis, aſt ſuperiori longior eſt, fabrica tamen in utrisque prope cor reperitur muſculoſa. Interior auriculae fabrica ex lacertis muſculoſis conſtat, quorum finis duplex eſt: Alter enim in auriculae coniunctione cum corde, alter autem in laeui auriculae parte, quae ſinus dicitur, nec in ſepto auricularum apparet. Duae de reliquo membranae auriculam hanc conſtituunt tenerrimae, inde haec facile diſtendenda et rumpenda, et ob muſculoſas fi-
p. 312. bras exquiſite irritabilis eſt. Huic demum leuis aliqua apponitur particula, quae ſinus dexter dicitur, duabus membranis fibrisque muſculoſis conſtans. In ſepto, quo auricula dextra a ſiniſtra diuiditur, locus quidam pellucidus deprehenditur, qui foſſa dicitur oualis, carneo arcu circumdata, annulo ouali dicta. Ad oſtium venae cauae inferioris membrana ponitur, quae valuula EVSTACHII audit, et in omnibus hominibus reperitur, nullo rete nullisque foraminibus, niſi contra naturam, praedita, impediens ne ſanguis, cauea auriculae receptus, inferiorem cauam venam intret.

intret. Pone auriculam dextram aliud cauum cerni p. 320.
tur, quadratum fere, quod ſinus ſiniſtri nomine venit, una cum appoſita parua particula, auricula nuncupata. Hic ſinus quatuor venas, a pulmone prouenientes, recipit, et ex duplici membrana tenera, inter quam carneae fibrae decurrunt, conſtat, interne vero laeuis eſt, et dextra cauea anguſtior dicitur.

Cor, proprie dictum, ſeu ventriculi cor conſti- p. 324.
tuentes exterius membrana cinguntur, quae ab extima vaſorum, cordi annexorum, prouenit. Sub hac celluloſa tela reperitur, in quam hinc inde adeps et interdum materies morboſa arenoſa aut alia deponitur. Ventriculus dexter ſeu anterior a baſi ad mu- p. 326.
cronem uſque conicus fere eſt, ventriculoue poſteriori latior quidem aſt breuior et debilior apparet, cauus de reliquo, muſculoſus et irritabilis. In utroque ventriculo tenera membrana faciem internam inueſtit, multique inſimul lacerti muſculoſi ibi deprehenduntur. Eo in loco, ubi auricula dextra cum ven- p. 329.
triculo connectitur, circulus calloſus eſt, qui nullum muſculi veſtigium, nullumque tendinis exhibet. Ex hoc oſtio auriculae membrana interna producitur, quae ex duplici lamina conſtat, et annulum quaſi, in non nullis locis latiorem in aliis anguſtiorem, inque ventriculo fluctuantem ſiſtit, ab aliis pro valuulis tricuſpidalibus habitum. Annuli huius fines, propriis vinculis, quibus cum corde connecti poſſent, deſtituuntur, cohaerent autem cum tendineis iſtis filamentis, quae muſculi parui cylindrici, papillarum figurae non abſimiles, inque cordis carnem inſerti, emittunt. Iſte annulus muſculoſus non eſt, et temporis tractu durior euadit, quid? quod cartilaginoſus interdum aut plane oſſeus. Productos huius annuli fines plerumque in tres diuidunt; ſed, quinque interdum et duos etiam reperiri anatome docet. Al- p. 335.
terum oſtium, quod in hoc ventriculo eſt, ad arteriam pulmonalem ducit: Id, ubi cernitur, in corde

circulo

circulo terminatur, qui ab eo formatur, tendineus autem non eſt. Huic oſtio tres praeponuntur valuulae, ob figuram ſigmoideae vel et ſemilunares dictae. Hae, verſus cordis cauitatem conuexae, verſus arteriam vero concauae ſunt, et ex duplici membrana conſtant, medioque in margine, qui ipſa valuula durior et liber eſt nec adhaeret, nodulus reperitur. Valuulae praeterea fibras albas ſplendidas nec tamen irritabiles habent, minime cauſſam ſiſtentes, ut arteria claudatur, ſed quo magis ſinus iſti ex-
p. 339. panduntur, eo magis arteria clauditur. Dextro hoc ventriculo omnia animalia gaudent, nec tamen aeque ſiniſtro; ſiquidem in multis vel pulmone vel calido ſanguine carentibus unus tantum, in aliis autem pulmone inſtructis calidoque ſanguine praeditis, duo ſemper reperiuntur ventriculi. De tribus autem, quos obſeruatos non nulli putant, merito dubitatur. Inter utrumque ventriculum vero reperitur ſeptum, quod ex utriusque carne miſta conſtat, porosque habet, qui coeci ſunt.

p. 343. Ventriculus ſiniſter, qui et poſterior vocatur, anteriori longior et anguſtior eſt. In hoc duo deprehenduntur oſtia, in quorum altero, venoſo dicto, annulus, ex duplici membrana conſtans, fortis et craſſus eſt, in duas productiones abiens, valuulas mitrales dictas. In has, atque quidem intra earum membranas, frequenter oſſea aut alia materies effunditur, ob quam indurantur. De reliquo plen-
p. 345. que in hoc cum illo conueniunt. Alterum oſtium, arterioſum dictum, cum arteriae pulmonalis oſtio fere conuenit, et linea alba circumcingitur, ex qua aorta prodit. Huic oſtio praeponuntur valuulae, quae, fabricae valuularum arteriae pulmonalis ſimiles, ſemilunares dicuntur, numeroque tres ſunt. Media in ſede orae valuularum liberae noduli conſpiciuntur, non a tritu aut morboſo ſtatu orti ſed naturales. Valuulae hae ſaepe oſſeae, ſcirrhoſae, cartilagino-

ſiginoſae imo coalitae et interdum exeſae repertae ſunt, atque qua facie aortam reſpiciunt, ſinus oſtendunt, qui quidem in adulto, minime autem in recens nato apparent. Os cordis, quod interdum reperitur, ad morboſum ſtatum pertinet, et in maioribus adultioribusque animalibus circa aortae ortum cernitur.

Quod ad intimam cordis fabricam, partes nimirum ſimilares ſpectat, cor ſane totum muſculoſum, fibrasque eius ramoſas et reticulatas, nunquam autem rectas reperiri, anatome docet. Veras autem fibrarum ſeries definire, res ſane difficillima eſt, videntur tamen uniuerſae obliquae eſſe, ita, ut *transuerſis pleraeque quam rectis* propiores ſint. p. 349.

Nerui cordis varias agnoſcunt origines. Primus enim, qui ſupremus aut, quia in ſuperficie conſumitur, ſuperficialis dicitur, inſigni faſciculo a ganglio ceruicali ſupremo, alter faſciculus, qui magnum cordis plexum conſtituit, a ganglio ceruicali medio, ultimusque demum, neruos cordis infimos conſtituens, a ganglio ceruicali infimo, prouenit. p. 357.

Arteriae cordis propriae, coronariae dictae, nullis valuulis tectae ſupra valuulas, aortae praepoſitas oriuntur, ita, ut eodem tempore, quo ſanguis, ventriculo ſiniſtro contracto, in aortam pellitur, arterias coronarias ſimul intret. Inde ergo falſum eſt, haſce arterias ex valuularum ſinubus oriri, hocque errore detecto, falſum etiam eſt, cor in contractione expalleſcere. Nunquam enim cor in animalibus, quibus iſtud craſſum eſt, pallorem concipit, quibus vero idem tenue eſt, ut animalibus frigidis, eorum quidem cor pallet, dum contrahitur, ſed pallor iſte non niſi a tenui cordis carne dependet, quae ob inanitam caueam pallet et ob repletam poſthac rubet. Arteriae de reliquo duae ſemper in homine reperiuntur, neque plures neque pauciores, et valuulis deſtitutae interiorem membranam ſolidam et albam p. 366.

minime

minime autem rubellam et plicatam habent. Ex utraque tandem hac arteria innumeri procedunt ramuli, qui ubique inter se anastomosi iunguntur, omnesque cordis lacertos musculosos perreptant.

p. 375. Venae cordis tres in primis, ut pote maiores, assumuntur, et sub magnarum, mediocrium et minimarum nomine describuntur. Magnarum princeps coronaria audit, eiusque ostium in dextrae auriculae faciem posteriorem hiat. Huic valuula semilunaris praeposita est; de reliquo venis istis, ex hac prouenientibus, nullae sunt. Reliquae maiores venae dicuntur vena cordis media, vena sinus dextri, innominatae et anterior, haeque fere omnes ostiis suis in auriculam dextram terminantur. Hisce venis reperiuntur minores, quae mediocres vocantur, et propriis ostiis vel in sinum vel in aurem dextri lateris desinunt. His tandem etiamnum minores, minimae dicuntur, quarum ostiola per utrumque sinum et utrumque ventriculum disperguntur.

p. 384. Glandulae in corde non sunt, in solis forte piscibus glanduloſum quid assumendum. Ast vasa lymphatica in corde adesse, varia experimenta docent.

p. 385. Non quiescit cor, dum animal viuit, sed mouetur, isque motus omnis in contractione ponitur, quae systole dicitur. Hac absoluta cor dilatatur, inque eum statum transit, quem diastolen vocant. Hic autem status cordis naturalis, ille vero violentus est. Cum itaque, cessante cordis contractione, necessario sequatur dilatatio, haecce proinde nunquam actio dici potest, neque etiam ad musculosam vim pertinet. Experimenta id clarius exponunt: Cordis enim quieti et relaxati fibras irritatas crispari et moueri stimuloque ablato iterum quiescere, docent. Dum vero cor contrahitur, breuius istud fit, ita ut apex ad basin accedat, nunquam autem elongetur, licet sint, qui contrarium affirment. Mutata vero cordis per systolen figura, mutatur etiam situs, ita ut apex, der-

dextrorſum et antrorſum motus, quintam ſextamue coſtam tangat et pulſum ibi manifeſtet; inde pulſus cordis a contractione, non autem a dilatatione, dependet. Pari etiam ratione auriculae, dum ſeſe mouent, contrahuntur et in contractione una cum partibus ſuis breuiores fiunt.

Ventriculos una cum auriculis contractos ſangui- p. 395.
nem expellere, experimenta docent. Error igitur eſt, ſi dicant, ſanguinem e corde dilatato effluere. Quae diaſtole ſeu cordis dilatatio dicitur, ea nunc explicatu difficilis non eſt. Habet enim omnia, contractioni contraria. Sic rugae cordis euaneſcunt, ipſumque cor laeue, longius, planum et molle fit.

Sed cuiuslibet partis pulſum nunc conſideremus. p. 399.
Initium a venae cauae pulſu eſto! Haec tum ſupra tum infra cor ex fibris muſculoſis conſtat, quibus irritatis vena caua contrahitur; hinc vere irritabilis eſt. Ob hanc igitur naturam irritabilem, venam iſtam contrahi, hincque ſanguinem valide in auriculam propelli, iam ratio ſuadet, ſed multo magis experimenta confirmant. Pulſum hunc excipit auriculae dextrae pulſus; ſanguinem nimirum, a vena caua in iſthanc auriculam pulſum, haec recipit, ſeque, dum irritabilis eſt, ſtatim contrahit, ideoque pulſat. Aſt duplex ibi ſanguinis iter eſt: Iſte enim, cum valuula EVSTACHII venae cauae oſtium minus arcte tegat, vel refluit, vel, reſiſtentiam ſi patitur, dextrum ventriculum intrat. Quodſi vero ſanguis inter p. 401.
dum in auricula dextra, vel in dextro ventriculo, aut pulmone aut alio etiam loco remoram patitur, iſte in dextra cumulatur auricula, quae impatiens ſanguinem premit, preſſumque ſummo bono in venam cauam cogit. Sed naturali lege, nec quidquam obſtante, ſanguinem ex auricula recipit ventriculus dexter, dumque oſtium, quo ſanguis exit, aperitur, annulus iſte valuuloſus, huic praepoſitus, ita verſus oſtium, quod ad pulmonalem arteriam ducit, pro-

pellitur, ut haec illo obtegatur, ideoque impediatur, quo minus ſanguis ab auricula in arteriam tranſeat.

p.404. Sanguine ergo auricula diſtenta contrahitur, hacque contracta dilatatur ventriculus, unde fit, ut faciliori negotio ſanguis ventriculum intrare poſſit. Hic in arteriam pulmonalem propellit ſanguinem, qui vero interdum in auriculam regreditur; id tamen non niſi in animali moribundo aut quibus ſanguis frigidus eſt, obſeruatur. Valuula enim oſtium tam arcte in ſano vegetoque claudit, ut ventriculus, ſanguine dilatatus, potius crepet, quam auricula iſtum ſuſcipiat.

p.408. Ex arteriae iſtius ramulis ſanguis in calidis animalibus fluit in venulas, quae in truncos collectae ad cor ſiniſtrum abeunt. Arterioſos autem ramulos in venas continuari varia experimenta anatomica, microſcopia, imo etiam morbi, in primis polypi in venis pulmonalibus aut corde ſiniſtro reperti, euincunt, hasque venas, ſinui ſiniſtro ſanguinem tradentes, pulſare oculi pariter confirmant. Ex hiſce venis ſanguis a ſinu ſiniſtro recipitur, qui eo diſtentus et irritatus contrahitur. Eo igitur contracto ſanguis unice in ventriculum ſiniſtrum tranſit, nec unquam in ſtatu naturali in venas pulmonales regreditur. Licet enim thorace aperto regreſſus ſanguinis obſeruatus fuerit, is tamen a pulmone collapſo, venae ſuae nullum ſanguinem mittente, deducendus eſt. Dum autem ſanguis ventriculum intrat, et oſtium aperitur, huius inde valuula aortae oſtio praeponitur et cauet, ne debili ſinus contractione debili vi in aortam pro-

p.411. pellatur ſanguis. Hic ſanguinis circuitus minor dictus et a veteribus ad ſeculum uſque decimum ſextum ignoratus, a SERVETO primum detectus poſtmodum autem ſubſequente ſeculo ab aliis confirmatus eſt. Aſt, ventriculo ſiniſtro contracto, valuula venoſa, oſtio arteriae praetenſa, retrahitur, hinc via in aortam patet, ſanguisque tunc valuulas ſemilunares ad parietes apprimit, in arteriam exit, ventri-

culum

culumque inanem relinquit. Sanguine nunc in aortam propulso, valuulae illae praetenduntur et obstant, ne sanguis in ventriculum retrogrediatur. Harum fabrica si perpendatur, rem clariorem reddit, sanguinemque nunquam in sano statu regredi posse, ostendit.

Sed tempora nunc consideranda sunt, quibus p. 415.
cordis partes in motu sibi succedunt. Esto iterum a vena caua initium! Dum haec contrahitur, simul etiam venae pulmonales in systole cernuntur, tunc utraque auricula insimulque sinus, neque igitur diuerso tempore, sanguine replentur. Quibus repletis, eorum sequitur contractio, tunc autem uterque distenditur ventriculus, dum vero hi replentur, distentae etiam simul apparent venae, inde ventriculorum et venarum motus synchroni sunt. At, vera haec esse, ipsi oculi confirmant; hinc ea, quae LANCISIO quaeque NICHOLLS fuit opinio, falsa omnino videtur, eique adeo ipsa cordis et auricularum fabrica obstat.

Quies etiam cordis seu motus finis commemo- p. 423.
randus est. Moribundum itaque animal aspiciamus! In hoc ventriculorum motus primo cessat, ita tamen, ut dexter diutius paulo sinistro pulsare pergat. Quiescunt dein auriculae atque quidem sinistra prius quam dextra. Omnium autem ultimae sunt vena caua venaeque pulmonales, inter quas caua postremo quiescit.

Vires cordis magnae sunt, atque primo quidem p. 426.
vis eius in capillares arterias penetrat, ita, ut sanguinis arterioſi celeritate langueſcente aliqua ſemper in globulis ſuccuſſio a corde contracto animaduertatur, et quiuis ad cor recedens globulus in ordinem reducatur. Verum et in venulas ſanguinem vi cordis agitari, experimenta docent, hancque eandem et in vaſcula minora, rubrum humorem non vehentia, continuari, minime quidem experimenta ſed ratio

ſumma, et multiplex, ad varia phaenomena adhibita, attentio ſuadent.

p. 430. Inter partes animales cor ſecundum obſervationes, in pullo inſtitutas primum mouetur, atque ab hoc motu viſcerum etiam figura, ſoliditas aliaque dependent. Idem in foetu ad reliqui corporis portionem comparatum maius eſt; hinc in iuniori, pro ratione corporis, plus ſanguinis intra datum tempus per cor fluit quam in adulto, inde etiam pulſus numeroſiores. In genere autem notandum eſt, cor ſemper in iis animalibus, quibus minor eſt ſtatura, maius eſſe, et minus contra in iis pro ratione corporis, quae grandiora ſunt. Auibus ergo, animalibus ferocibus, audacibus omniumque animalium maſculis ſemper corda maiora cur ſint, facile nunc intelligitur. Aſt obiiciunt hic, ſanguinem in vaſis moueri, eorum etiam, quae corde deſtituuntur, porro ſanguinis motum continuari, corde licet euulſo, denique motum cordis ad producendum ſanguinis, per totum corpus circumeuntis, motum minime ſufficere, hinc arteriarum requiri contractionem, per minimorum vaſculorum oſcillationem, inuiſibilem, aut aerem, calore expanſum, demonſtrandam.

p. 438. Ad haec vero facilis datur reſponſio. Quod enim ad cordis abſentiam ſpectat, iſtud ſane quondam adfuiſſe, ſenſim tamen ſenſimque ita conſumtum, ut vires inſimul vitae debilitarentur, debilesque has vires, adhuc deprehendendas, ſuperſtitem aliquam partem cordis ſuſtinere, ſtatuendum eſt. Res clarior erit, ſi ad alias partes attendamus: Sic cerebro, grauiſſimis malis afflicto, viuitur. Aſt, oſcillatio, quae, corde quieſcente, in ſanguine ſupereſt, a ſola quadam attractione dependet. Atque arteriarum vis contractilis, quae obiicitur, ita comparata eſt, ut vix attendi mereatur. Cum enim paucae fibrae muſculoſae in arteriis reperiantur, eaedemque non adeo

adeo ſenſiles ſint, parua etiam vis arteriarum ad cor
omnino erit. Vis dein vaſorum attractilis minime p. 442.
pro ſanguine mouendo aſſumi poteſt. Nam praeter
id, quod vaſa capillaria non fugant, attendendum
etiam eſt, ſanguinem in minimis arteriolis ſolidiorem
eſſe quam in venulis capillaribus; inde ſecundum ob-
iectionem ſequitur, ſanguinem magis ex venis re-
trahi quam a maioribus, arteriis ad minores adduci.
Oscillans porro vaſorum vis nulla eſt. Si enim haec p. 443.
adeſſet, ſequeretur, ut minora vaſa irritabilia ſint.
Sed haec vel nulla vel admodum debilis eſt; ſique
etiam adeſſet, tunc maius omnino obſtaculum, cir-
cuitui oppoſitum, enaſceretur. Tandem etiam nec p. 445.
ab aeris atmoſphaerici nec aeris etiam intra corpus
ſuſcepti calore ſanguinem in motu adiuuari, accura-
ta ad frigoris calorisue effectus attentio deprehendit.
Itaque ſolius cordis vis primaria ſanguinis motus p. 446
cauſſa habetur, haecque tanta eſt, ut magnum ſan-
guinis pondus a corde non ſolum moueatur ſed et
celerrime proiiciatur, ita, ut v. g. tempuſculum, quo
cor pulſat et quo arteria poplitis, nunquam diſtin-
gui poſſit. Licet autem multi atque magni quidem p. 448.
viri vires cordis ad numeros vocare ſtuduerint, certos
tamen librarum pedumque vix inueniri poſſe, pu-
tandum eſt.

At vero, quaenam motus cordis cauſſa? Ea ſa p. 459.
ne proxima in fibris carneis earumque conſtrictione
poſita eſt, ſed harum motus ſingularem cauſſam
agnoſcit. Licet enim vis fibrarum contractilis ali-
quo modo a neruis dependeat, tamen experimenta,
vim iſtam a neruis acceſſoriam tantum eſſe, probant.
Neruis enim, a pari vago aut intercoſtali proueni-
entibus ligatis pariterque medulla ſpinali ligata mo-
tus non tollitur, et ſi haec et illi diſſecantur, mors
quidem accedit, ſed motus per aliquot tempus con-
tinuat. Ergo alia motus cauſſa adſit, neceſſe eſt.
Haec in natura, cordi propria, quam irritabilem p. 465
dicas,

dicas, quaerenda eſt, eamque varia experimenta manifeſtam reddunt. Ita cor quietum, pectore animalis mortui aperto, ab accedente aere in motum excitatur. Eo potentior eſt calor. Aqua enim calida adſperſa cor ad crebriores contractiones diſponit. Idem hoc praeſtant variae irritationes ſcalpello, aut ſalibus acidis mineralibus aut aliis perficiendae. Quamquam autem irritabilitas iſta, qua cor omnes partes corporis ſuperat, magna ſatis eſt, hanc tamen naturam in interna ſuperficie cordis multo maiorem atque inter ipſas cordis partes in auricula dextra maximam eandem eſſe, aer, per venam cauam aut ductum thoracicum impulſus, omnino euincit. Iuniorum de reliquo animalium corda, et eorum etiam, quae uno ventriculo praedita ſunt, magis irritabilia calidiorumque, caeteris paribus debiliora eſſe, eadem experimenta oſtendunt.

p. 470. Sed unde iſta vis? An a neruis? Minime. Cordis enim euulſi, imo in partes diſſecti, non ſolum in frigidis ſed et calidis animalibus continuatur motus. Quaenam igitur perennis huius et conſtantis in corde motus cauſſa? Ea ſane nec a calore innato, qui omnino nullus eſt, nec etiam a neruis peculiaribus, vitalibus dictis, dependet. Cum enim animalia reperiantur, quae aut nullam aut obſcuram cerebri a cerebello diuerſitatem habent, aut quae cerebellum omnino nullum poſſident, ſententia a WILLISIO, VIEVSSENIO aliisque, pro neruis vitalibus allata, ſtare prorſus nequit. Cumque praeterea cerebellum cauea propria, quartum ventriculum appellant, et ſinubus impoſitis praeditum ſit, arteriasque cum cerebro communes habeat, nulla vera cerebelli a cerebro aſſumenda eſt diuerſitas. Sed, quamuis multi affirment, vulnera cerebelli lethalia eſſe, non deſunt tamen exempla, a VESLINGIO, PLATNERO aliisque allegata, quibus probetur, cerebelli vulnera non ſolum minus ſubito occidere

occidere sed et adeo cerebello vulneratos sanitati restitutos esse. At non dantur etiam nerui cerebelli, p. 474.
functionibus vitalibus peculiariter dicati. Proueniunt enim non nulli a cerebello, qui ad organa, sensibus et motibus voluntariis destinata, abeunt, et proueniunt contra a cerebro, qui ad vitalia tendunt.
Sed nulla etiam animae peculiaris in cor est potestas, p. 480.
STAHLIVS assumsit. Cor enim exemtum, a que omni animae commercio remotum, a stimulo mechanico ad motum disponi, experimenta docent; motusque arbitrarios cum spontaneis, hosque cum illis nunquam ita confundi, ut, qui spontanei semper fuerunt, arbitrarii fierent, experientia confirmat.
Sed neque etiam anima in corde residet: Dantur p. 485.
enim exempla, quibus probetur, homines, corde euulso, voces aliquas protulisse, ipsisque oculis cor contemplatas esse. Ergo anima solo in capite residet.
Sed nec ab ea etiam sede cordis motus dependet: Animalia enim non nulla, capite auulso, sese ultro mouent, ideoque probant, aliam motus in corde supereſſe cauſſam. Quae vero ROBERTO WHYTT fuit sententia, quod nimirum anima et in corpore et in cerebro sit, hincque cor aliaue de corpore resecta organa pergat animare, ea sane nunquam veritati consentanea est. Artus enim truncatus manet quidem irritabilis, sed nunquam sentit, hinc nullum etiam in partem separatam animae imperium, siquidem ea unice sensus causſa est. Ergo magna cordis, p. 488.
qua omnes musculos superat, irritabilitas sola motus causſa est, minime tamen a neruis dependens. Eos enim circa cor numerosiores quam ad musculos non esse, forte tamen magis nudos, anatome docet. Si itaque cordis irritatio perpetua est, requiritur omnino stimulus, quo cor irritatum ad contractionem disponatur. Hunc stimulum a solo sanguine venoso, in cordis auriculam dextram transeunte, prouenire cordisque motum hinc excitari, clara utique eun-

cunt experimenta. Sique demum perpendamus, ſanguine detracto cordis vires frangi, eo autem auctо contra augeri, res ſane confirmatur ulterius. An vero neruea vis aliquid ad motum confert? *Minime*, certe, *improbabile eſt, etiam cordi per neruos vim motricem accedere, quae motum, a natura irritabili pendentem fortiorem et celeriorem efficiat.*

p. 494. Verum, inter cordis partes auricula dextra omnium ultima reliquas ſuperuiuit, ſiniſtri vero cordis caueae omnium primae quieſcunt, idque quidem eam ob cauſſam, quia pulmone quieſcente nullus ultro ſanguis ad has venit, atque contra eodem tempore continuo in dextram auriculam quidquam ſanguinis tranſit. Ex his facile nunc intelligitur cauſſa, cur homines, aqua ſubmerſi, aut animi deliquio appreſſi, ſtimulo quocunque applicato ad vitam reuocari poſſint. Eo enim applicato nerui irritantur, qui dein muſculos irritant et ad motus vehementiores diſponunt. His autem motis ſanguis venoſus mouetur, qui deinde ad venam cauam tandemque ad auriculam dextram tendit, hinc eam irritat, et ad
p. 497. contractionem diſponit; ſicque vita reuocatur. Pariter nunc quoque intelligitur, cur ante ventriculos auriculae pulſent. Cum enim iſtae prius quam ventriculi ſanguinem accipiant atque cum ſanguine ſtimulus cumque hoc motus ſimul adueniat, haec autem cuncta auriculis prius quam ventriculis accidant, non poteſt etiam fieri, quin ante ventriculos auricu-
p. 498. lae pulſent. Quae tandem alterni ordinis cauſſa ſit, qua nimirum cordis partes conſtringuntur et laxantur, variae apud auctores exſtant hypotheſes, ita tamen comparatae, ut experimentis contrariae pro falſis inde haberi debeant. Vera itaque huius phaenomeni cauſſa ſimplex omnino eſt nec adeo latet.
p. 504. Stimulus nimirum, cordi applicatus hanc cauſſam ſiſtit. Dum enim auricula ſe contrahit, a ſanguine tunc, hinc ergo a ſtimulo, ſe liberat. Liberata autem

tem laxatur, et quaſi quieſcit. Aſt ſanguis tunc in vena caua iam praeſto eſt, qui laxam auriculam intrat, ſtimulat, et ad contractionem iterum diſponit. Atque eadem etiam ratio in ventriculis locum inuenit. Eo enim tempore, quo ventriculus ſe a ſanguine, ceu ſtimulo, liberat, is contrahitur; liberatus autem ab eo laxatur, tuncque ſanguis ex auricula iterum accedit, ſtimulat et eundem ad contractionem pariter diſponit. Ergo ſtimulus a ſanguine, alterne adueniente, unice pro cauſſa aſſumendus eſt.

X.

Hiſtoire naturelle du Senégal. Coquillages. Avec une relation abregée d' un voyage fait en ce pais, pendant les années 1749, 50, 51, 52, 53. Par M. ADANSON, Correſpondant de l' Academie Royale des Sciences. Ouvrage orné de figures. à Paris, chés Claude Iean-Baptiſte Bauche. 1757. 4. 1 alph. pl. 11. fig. aen. 19.

i. e.

Hiſtoria naturalis Senegaliae. Conchylia. Accedit breue diarium itineris in hanc regionem ſuſcepti annis 1749, 50, 51, 52 et 53. Auctore ADANSONIO.

Rerum naturalium amore captus, cui iam deditus erat rerum ſacrarum ſtudium relinquens, Botanicam, praeeunte IVSSIEV utroque, colere incepit Cl. ADANSON, tantasque in hac doctrina inuenit delicias, ut et aliis hiſtoriae naturalis partibus operam nauare anniſus fuerit. Inſtructus hoc doctrinae apparatu, eodemque ad obſeruanda quaeuis in naturae campis phaenomena praeparatus, de itinere quodam ad culturam ſcientiae phyſicae ac naturalis inſti-

tuendo cogitauit, et cum Galliae prouincias a dictis modo eruditis ſatis ſuperque, quoad rerum naturalium copiam diſquiſitas cognouerit, diſſitam quandam regionem inuiſere ſecum conſtituit; hac igitur de cauſſa aequinoctialem Africae partem, quam nemo antea peragrauit, ſuae diſquiſitioni aptam iudicauit, et, ut ex allegandis patebit, uberrimam ex quouis naturae regno corpora colligendi nactus fuit occaſionem. Praemittit vero, quam in hoc volumine ſibi deſcribendam ſumſit, conchyliologiae, concinnam totius itineris hiſtoriam, in qua breuibus geographica, oeconomica hiſtoricaque recenſet, e quorum numero pauca, quae propius nos tangunt, hic allegabimus; Anno huius ſeculi quadrageſimo nono, initio menſis Martii iter ſuum inchoauit et ſexto Aprilis Picum Teneriffae conſpiciebat. Eius altitudo milliare unum exaequat, iugum ſemper niuoſum, quamuis interdum flammas, nullo tamen tumultu, euomat. Medium fere inſulae occupat multisque ſaxis altis montibusque ſtipatus eſt; inſulae fertilitas magna omnibusque et Europaeis et Africanis fructiferis arboribus foeta. Vineae, quae vina, ſub nomine canarienſis et maluatici celebria, largiuntur, colles, ornant. Montium auerſa facies, quae ſeptentrionem reſpicit, ſaxis rudibus ac aridis componitur. Adſcendendo, via non humo ſed cineribus, pumicibus lapidibusue ignem expertis, obtecta inuenitur, quibus
p. 13. eadem ac Lauae italicae facies eſt. Varias adducit plantas in hacce inſula reperiundas; quamuis enim terra niue adhuc obtegeretur, circa littus tamen duas ficoidum ſpecies, quarum prima *Aizoon, foliis cuneiformi-ouatis, floribus ſeſſilibus*, altera *Meſembryanthemum foliis alternis, teretiuſculis obtuſis ciliatis* LINNAEO audit. *Iaſminoidem, Gladiolum utrinque floridum, Kleiniam foliis lanceolatis planis, caule laeui ventricoſo* in montium radice, in media eorum parte *Tithymalum dendroidem, linariae foliis*, in apice, *Euphorbiam*

phorbiam aculeatam nudam ſubquinquangularem reperit. Vnicam tantum uniualuium cochlearum ſpeciem, quam infra ſub nomine *Pouchet* deſcribit, inuenit. Aprilis vigeſimo quinto ad Senegaliae littora accedebat, ubi auem peregrinantem conſpiciebat, quae garruli ſpecies Auctori videbatur. Tunc clima incolarum mores, variaque Senegaliae hiſtoriam ſpectantia adfert; quibus tamen recenſendis hic ſuperſedere poſſumus, cum ſperamus, fore ut in ſequentibus Voluminibus, quae promiſit, omnem hiſtoriae naturalis ambitum fuſius ſit declaraturus, eaque, quae in hoc Volumine ſparſim de plantis, animalibus ac foſſilibus commemorauit, curatius explicaturus.

Expoſitis igitur, quae Senegalia offerebat memorabilibus nunc conchyliorum hiſtoriam ipſam aggreditur; cum enim noſtra aetas omnino plus quam praecedentia ſecula, ad hiſtoriae naturalis cultum adtulerit, et Noſter ſuam ſymbolam conferre voluit. Hinc eam partem, quae animalia teſtacea concernit ſibi colendam ſumſit quam nondum ita perfectam animaduertit, ut facilis exſtet conchylia cognoſcendi ac ordinandi via. Ob eam enim qua in ſuperficie ſuperbiunt colorum elegantiam, factum eſt, ut ad iſtam pigmenti pulchritudinem attendentes ii, qui de ſyſtemate quodam conchyliorum cogitarunt, in conſiderandis iſtis exuuiis ſubſtiterint, et animal iſtas inhabitans flocci pependerint. Alii quanquam deſcripſerint animal hocce dictum, neutiquam tamen illo ad condendam methodum uſi fuere. Ex iis itaque p. 6.
quas collegit in ſuo itinere Cl. Auctor obſeruationibus hoc ſpectantibus, quaedam in hunc uſum impendere non dubitat. Quamuis autem Senegalia non quaeuis conchyliorum genera in muſaeis forte occurrentia ſuppeditet, tamen et alia omnino inuenit, quae nusquam deſcripta nunc conchyliorum gregem adaugent. Optaſſet, ut facta ipſi fuiſſet occaſio et maritimarum Galliae regionum et Oceani conchylia ſimul

mul perquirendi, et plenariam eorum dandi hiſtoriam, ſed nec otium nec aliae circumſtantiae id permiſere. Ex ea tamen, qua huc uſque Auctores uſi fuerunt, ordinandi conchylia methodo, ex ſolo tegmine ſiue valua petita, magnam ſatis ortam confuſionem aſſerit, quod et exemplis commonſtrat v. c. terreſtria marinis, operculata ſimplicibus, quin et partem unam biualuium, univaluibus communita interdum fuiſſe teſtatur. Maxima eſt difficultas inueniendi operculata integra, niſi viuentia ex mari depromere ipſa poſſis; nec eſt in teſtarum familiis determinandis ori ſiue aperturae fidendum, cum quaedam ſint, quae aliam iuuenes aliam adultae habeant oris formam, cuius cenſus purpurae et murices deprehenduntur. Hinc tantae confuſiones, quibus ſuperandis non pares eſſe poterimus, niſi ad animal intus latens attenderimus, quod unicum nos ducere in coordinandis conchyliis debet. Quam ob cauſſam factum eſt, ut Cl Auctor in hoc ſuo opuſculo longe diuerſam, a conſueta veterum, methodum elegerit ad cuius ductum conchylia diſponat ac deſcribat.

p. 13. Diſtinguit conchylia in *cochleas* et *conchas*. Cochleas vel in *univalues* vel *operculatas*, conchas vel in *biualues* vel *multivalues* dispeſcit, quatuor hisce familiis inferiores plures ſubiunctarus. Ad inferiora genera determinanda characteres petit ab oculorum poſitu in cochleis, a figura branchiarum in conchis, alias corporis partes ad ſpecies varietatesque diſtinguendas adhibet. Nomina quod attinet, ſpeciebus nova prorſus nec unquam audita impoſuit. Quamuis enim ipſe magnum ſcientiae impedimentum ex eiusmodi nominum mutatione oriri aſſerat, eaque quae corporibus a doctis eruditi que viris ſemel impoſita fuerunt ſemper eſſe reſeruanda putet, attamen cum nominum pleraque, quae hucdum conchyliis data ſunt non ſolum impropria ſed et aliis rebus communia vel ab imaginatione pendentia deprehendantur, opus ipſi videtur,

videtur, quamlibet ſpeciem nouo inſigniri nomine, quod ipſi ſoli proprium, nec cuiusdam alius corporis ideam excitat. Nec tamen, noſtra quidem ſententia, apta ſunt, quae Cl. Auctor elegit nomina, cum ob terminationes gallicas latinum ſermonem reſpuant, quae ſola eruditorum vernacula eſſe debet. Nec tantum quoque in hiſtoriae conchyliorum incremento oriri putamus impedimentum, ſi ſpecifica nomina, ab Auctoribus iam aſſumta, retinuerimus, cum voces ſemper ſint arbitrariae, et definitio nomen ornet, neutiquam vero nomen definitionem. Varia tunc ſubiungit de ipſo ordine, quo tractaturus eſt ſuam conchyliologiam, quae fuſius hic adferre nolumus, cum ex ipſis iis, quae ſumus adlaturi, plenius perſpici poſſint. Figuras additas, a REBOVL deſignatas ac ſculptas, non poſſumus non laudibus efferre digniſſimis ob ſuam elegantiam, qua omnino, eas a Cl. ARGENVILLE, nitidas ceteroquin ac pulchras, exhibitas, ſuperare videntur. Centum octoginta quinque ſunt, quas deſcribit ſpecies, quas omnes in Senegalia eiusque vicinis prouinciis collegit ac examinauit. Paucis p. 29.
his praefatis nunc ad ipſam ſe conuertit tractationem, et primum definitiones partium conchyliorum exponit, quas poſtea ad ipſam condendam methodum eſt adhibiturus.

Conchylium (*coquillage*) eſt animal, cuius corpus molle, nullo articulo praeditum, vel totum, vel ad partem cruſta lapidea tectum, quae teſta dicitur, cui arcte uno pluribusue muſculis adhaeret. Duplici modo conſiderandum eſt conchylium; vel enim animal, vel teſtam attendimus, et vel figuras vel numerum partium diſquirimus. Teſta, quae animali pro oſſe eſſe videtur, et ſubſtantiae cretae ſimilis calcareae, cum acidis efferueſcentis et diſſoluendae in iisdem deprehenditur, ad diſtinctionem in uniualues, operculatas, biualues, et multiualues anſam ſuppeditat. Quarum quidem ſimilitudines in decem partibus

tibus reperiuntur, in *Spira*, *Vertice*, *Apertura*, *Operculo*, *Valuis*, *Muſculorum Adhaeſione*, *Iunctura*, *Ligamento*, *Perioſtio*, *Superficie iridis colorem referente* (*nacre.*)

p. 31. *Spira* eſt conuolutio, quam efficit teſta ſeſe contorquendo. Spirae hae figurae ſunt plus minusue conicae omnibusque cochleis communes, exceptis *Sormet* et *Lepade*. Sed variat earum poſitus ad varia, ſupra quae conuertitur, plana, quae cum vel horizontalia, vel cylindrica, vel conica, vel oualia ſint, teſtam *diſcoideam*, *cylindricam*, *turbinatam*, vel *ouatam* formant. Numerum ſpirarum, computando a fundo ad apicem, varium dicit Cl. Auctor ex aetate et ſexu. Iunioribus enim paucae, adultioribus plures eſſe ſolent. Et ſexus ex ſpirarum numero in quibusdam, ut in Buccinis et purpuris determinatur, cum femellis pauciores magisque inflatae deprehendantur. Vt plurimum a dextra ad ſiniſtram animalis conuoluuntur ſpirae, dantur tamen interdum, quas vero inter rariſſimas numeramus ſpecies, contrario tractu contortae.

p. 35. *Vertex* (*le Sommet*) non in omnibus cochleis adeſt, nec in iis, in quibus conſpicitur, eiusdem figurae deprehenditur: in quibusdam enim umbilicum, ſeſe verſus interiora contorquendo, format, in alia cauitatem efficit, in cuius centro extremum verticis ſub globuli rotundioris forma apparet, in aliis planus et compreſſus ſine eiusmodi globulo, in aliis eminentiam plus minus longam ac eleuatam oſtendit. Extremum unum verticis apex, alterum, in quo orificium teſtae incipit, baſis appellatur. Longitudo eius a fine primae conuolutionis cochleae ad apicem uſque determinatur, latitudo a linea, baſin transuerſim ſcindente, deſumenda. Concharum vertex eodem modo ac in cochleis earum baſin efformat, itidemque figura ſua variat; in quibus vero deeſt, iunctura pro vertice aſſumenda.

Apertura

Apertura ſiue *orificium*, quam ob euitandam cum ore animalis confuſionem ita nominat, ſemper a latitudine extremitatis ultimae ſpirae formatur. Parallelam eam dicit, ſi eius directio cum axi teſtae una eademque eſt, ut in porcellana; ſi vero ab axis directione diſcedit, obliquam nominat. Figurae eſt vel rotundae, in cerita, vel ſemirotundae in nerita, vel oualis in lepade, vel allongatae in porcellana. Duo ipſi ſunt labia, dextrum aliud, aliud ſiniſtrum, a cuius latere ſemper umbilicus deprehenditur. Pluribus cochleis eſt in ſuperiori extremitate orificii foſſa ſiue canalis excauatus, mox breuis, mox longior, mox exciſus, mox integer, mox apertus, mox tectus, quem ſuperiorem canalem nominat Cl. Auctor; aliis eiusmodi ſulcus in extremo quoque inferiori eſt, ſemper breuis et anguſtior ſuperiori, ut plurimum non exciſus, inferiorem Auctor dicit. Concharum apertura, non niſi a rima longa a valuarum disceſſu pendente, formatur. Dantur tamen quaedam, quae ſine eo, quod valuae ſeſe aperiant, aperturam monſtrant, ut ſolenes, pholades, quae in utroque extremo apertae inueniuntur.

Operculum eſt parua maſſa cartilaginea aut lapi- p. 41.
dea, figurae variae, ſemper tamen planae: adhaeret animalis pedi, in quibusdam circa extremitatem poſteriorem poſitum, in aliis circa medium longitudinis pedis, in aliis radici pedis implantatur. Figura eſt vel orbicularis, vel ſemirotunda, vel elliptica; ſuperficies externa lineis concentricis notata. In quibusdam exacte aperturam claudit, in aliis eam ex parte tantum obtegit. Differt cochlearum operculitarum operculum ab eo limacum terreſtrium hac de cauſſa, quod inde ab ortu natiuum ipſis adhaereat, cum hae ſibi operculum ex glutinoſo humore ac muco ſuo certis quibusdam temporibus ipſae conficiant, quod tamen nunquam corpori animalis continuum, nec lineis iſtis concentricis pictum deprehenditur.

Opercula

Opercula lapidea, uti teſtae ipſae, calcareae indolis ſunt, et cum acidis efferueſcunt, ac ab iis ſoluuntur, quod non idem euenit in cartilagineis, quae tamen igni iniecta, ob eam, quam vehunt, pinguedinem, odorem ſpargunt interdum ſuauem, interdum vero foetidiſſimum.

p. 43. *Valuae*, quae vox biualuium tantum teſtas deſignat, ab operculitarum cochlearum partibus et forma et aequali magnitudine differunt: ſemper ſunt valuae eiusdem naturae, quod in operculis non deprehenditur.

In ſuperficie interna valuarum conſpiciuntur plures maculae, foraminula et eminentiae, quibus adhaerent animalis muſculi infra deſcribendi.

Iunctura (*la charniere*) in cochleis non niſi in nerita conſpicitur, in conchis vero ſemper circa verticem poſita eſt. Denticuli, qui formant eam, mox pauciores ut in Tellina, mox plures ut in Arca, adſunt. Valuarum firmiori nexui inſeruiunt.

Quaeuis conchae prope verticem et iunctura *ligamentum* habent, quod eas nectit. Quarum iunctura denticulis caret, in iis illud intus eſt poſitum, ut in Oſtreis; in aliis, quibus ſunt eiusmodi denticuli, ne illi operiantur, extus adhaeret.

Cum teſtae conchyliorum oſſa conſtituere videantur, et membrana, qua teſtae obducuntur, commode *perioſtium* nominari poterit. Haec membrana nunquam internam veſtit teſtarum ſuperficiem, ſed ſemper tantum exteriorem in cochleis aeque ac conchis. In quibusdam admodum tenuis in aliis valde craſſa, in aliis, ut Porcellana, prorſus deficit.

Colorem iridi ſimilem (*la nacre*) non quidem, u partem teſtae conſiderat, ſed tantum monet, eſſe eam qualitatem conchyliorum, qua alia ſuperbiant, alia prorſus deſtituta reperiantur.

Ad

Ad animalis nunc teſtas inhabitantis partes acce p. 45
dit. Statim tamen monet, ſe non anatomicum eſſe geſſurum, cum conchyliorum anatomen iam a variis celebrioribus HARDERO, HEYDIO, LISTERO, SWAMMERDAMIO ſatis tractatam quiuis ſciat; ſed tantum membra animalis, quae ſenſibus obuia, nullo admoto ſcalpello, detegi a quouis poſſunt, deſcribere paucis annititur. Viginti partes, methodo ſtruendae aptas diſtinguit: caput, cornua, oculos, os, maxillas, dentes, proboſcidem, collum, corpus, pedem, pallium, branchias, aures, anum, cor, muſculos, ſexum, oua, filamenta, fila, quas in ſequentibus paulo fuſius definire allaborat.

Caput eſt quaedam eminentia rotunda carnea, quae in anteriori et ſuperiori corporis cochlearum parte conſpicitur. In conchis, niſi eminentiam paruam infra os prominulam, capitis nomine inſignire volueris, nullum hucuſque diſtinguere obſeruatoribus licuit.

Cornua tantum in cochleis, quarum tamen quaedam iis deſtituuntur, apparent; nunquam duobus pauciores nec quatuor plures adſunt. Aut ad latus capitis, ad eius originem, aut ad ipſius extremum poſita ſunt. Structura eorum variat, cum in aliis cauum tubum, ope muſculi cuiusdam, quem pro neruo SWAMMERDAMIVS habuit optico, contractilem formant, in aliis ex fibris longitudinalibus, annulis muſculoſis interſectis conſtant. De eorum uſu Auctores diſputant, qui tamen Noſtro plane nullus videtur.

Oculi non niſi cochleis ſunt, quibusdam in vertice, aliis in medio, aliis in ſua origine, numerum binarium nunquam excedentes, poſiti ſunt. SWAMMERDAMIVS detexit bulbum, ſuperiori facie conuexum, inferiori planum, tresque humores aquoſum, cryſtallinum et vitreum, membranamque unicam uueam, quam appellat, ſuperficiem bulbi inter-

nam veſtientem. Cum a membrana cochlearum communi obtegantur, obtuſus eorum viſus ab ipſius membranae craſſitie pendere videtur.

p. 48. *Os* in conchis maius deprehenditur ore cochlearum. In cochleis duo diſtinguimus labia, quae ſulcum efficiunt oris nomine appellandum: in conchis vero quatuor eiusmodi labia foliolis carneis ſimilia conſpiciuntur.

Maxillae in conchis nullae, in cochleis vero et ſuperior et inferior diſtinguuntur.

Dentes in cochleis ſolummodo obſeruantur, in ſuperiori maxilla maiores ac in inferiori. Circa hanc inferiorem maxillam et lingua animalis ut caruncula albicans conica in apice nigra apparet.

Cochleis carniuoris loco maxillarum *proboſcis* eſt, qua conchyliorum teſtas perforant et inde nutrimentum hauriunt.

Cochleae omnes *colli* ſpecie inſtructae ſunt, qua vero conchae deſtituuntur.

p. 51. *Corpus* conchyliorum aſſumit figuram teſtae, quam inhabitat, ut, ſi ea ſit ſpiralis, et corpus turbinatum deprehendatur; ſi vero nullo modo, ut in Lepade, contorta fuerit teſta, et corpus non ſpirale conſpiciatur.

Pedem nominat magnum illum muſculum, qui extenſus ſub collo ad partem pectoris in cochleis reperitur. Figura variat, cum a vario animalis motu dependeat. In quibusdam conchis, ut in oſtrea, deeſt, in aliis autem ratione uſus et figurae ab iſto cochlearum diuerſus conſpicitur.

Pallium, quod *collare* ab aliis dici minus recte ob figurae irregularitatem putat, nominat membranam muſculoſam, quae parietes teſtae internos inueſtit. Inſunt ipſi unum duoue foramina, quae ob uſum, quo aerem aquamue inſpirant, *tracheas* Auctores appellant.

p. 54. In dorſo cochlearum concharumque variis locis animaduertimus quatuor membranoſas produ-

ctiones,

ctiones, quae aeri ab aqua ſeparando aortaeque immittendo deſtinatae, *branchiae* nominantur.

Anus et in conchis et cochleis in poſteriori branchiarum inuenitur, et excrementa mox ſub vermiculorum forma, mox ſub granulorum figura excernit.

Cor quamuis interior pars animalis ſit, cum tamen in ſuperficie corporis cochlearum poſitum ſit ita, ut motu ſuo facile diſtingui poſſit, ab Auctore fuit quodam modo deſcriptum.

Muſculis omnia praedita ſunt conchylia, uniualuia unum, biualuia duos, tres, quatuor pluresue poſſident, quorum ope claudunt et aperiunt ſuas valuas.

Mira deteguntur in *ſexu* conchyliorum, cum alia diuerſi omnino ſexus, alia hermaphroditae verae exiſtant, quarum tres ſpecies diſtinguit Auctor: 1) quae ſine coitu ſeſe propagant nec maris nec foeminae partes oſtendunt, ut conchae: 2) quae utriusque ſexus partibus genitalibus praeditae reciproce ſe inuicem foecundant: 3) quae, quamuis utrumque ſexum in iis deprehenderis, ad ſui propagationem tamen indigent alio indiuiduo, quod ab ipſis non reciproce foecundatur.

Oua ponunt conchyliorum varia, alia tamen vi- p. 58.
uipara deprehenduntur. Aliorum oua cruſta obtecta, ut auicularum oua; alia gelatina quadam inuoluuntur ac conglutinantur, ut ſperma ranarum; in aliis oua formant ſaccum membranaceum oualem, *ſuuaginem* dictum, qui plura minora conchylia continet. Concharum oua ad multa millia in uno ſubiecto adſunt, in cochleis operculatis aeque ac uniualuibus pauciora.

Filamenta in quibusdam conchis deprehenduntur, quae ornamento potius conchis, quam uſui eſſe videntur. Si ea diſſecueris reſecta pars per ſatis longum temporis ſpatium ſeſe mouet.

Diſtinguenda ab hisce filamentis ſunt *Fila*, quibus praedita quaedam conchylia deprehenduntur. Hae-

rent eorum ope adfixa uni eidemque loco, et reſecta vel diſciſſa haec fila ab animali rurſus, pedis ope reſtituuntur aliique vicino corpori adplicantur. In pinnarum valuis optime haec fila conſpiciuntur, ubi capillos animantium ex aſſe aequant.

Recenſitis his partium definitionibus, ipſam nunc methodorum poſſibilium differentiam, pro varia parte, ex qua diſtinctionis fundamentum quilibet deſumere voluerit, adducit et tabulis ſynopticis illuſtrat. Conchylia, ut iam ſupra dictum fuit, in cochleas et conchas diſpeſcit, quae quidem ſingulae ſub vario reſpectu conſiderari poterunt ad ductum variarum ſupra definitarum partium.

Ad teſtam ſi reſpexeris, diſpoſitionem effici poſſe Noſter autumat vel a ſpira, vel a vertice, vel ab apertura, operculo, colore, vel perioſtio, quod ſequentem in modum peragendum cenſet.

Spira vel a numero, vel a figura, vel a ſitu diſtinguendis generibus notas exhibet: ratione numeri alia turbinata reperiuntur, aliis nulla prorſus ſpira eſt: ratione figurae in aliis ſpira format umbilicum in cochleae baſi, in aliis in vertice, in aliis nullum: ratione ſitus deſcendendo conuertitur circa ſuam axin vel a dextra ad ſiniſtram, vel contrario modo.

Vertex cum longitudine aperturae comparatur, et ex hac proportione differentia eius determinatur, ut inde alia habeant verticem vix conſpicuum, aliis in vertex apertura breuior, in aliis aperturam exaequat, in aliis eam ſuperat.

Apertura vel ratione figurae, vel canalis vel labiorum conſideranda, figura ſiue forma oriſicii vel exacte rotunda vel ſemilunaris vel oualis vel allongata conſpicitur. Canalis vel prorſus deeſt, vel tantum in ſuperiori extremo adeſt, vel ſuperiora verſus ſat longus, inferiora autem verſus breuis tantum modo apparet.

Labia

Labia orificii vel margine acuto, vel obtuſo, vel fimbria in dextro labio diſtinguuntur.

Operculum ratione ſubſtantiae aut corneum aut petroſum, ratione figurae vel rotundum, ſemilunare, ouale vel allongatum ut plurimum aperturae, quam tegit, reſpondet. Color iridi ſimilis vel in quibusdam in interna ſuperficie apparet, in aliis nusquam deprehenditur. p. 70.

Perioſteo alia obducuntur nullo, alia ſubtili valde, alia craſſiori veſtita deprehenduntur.

Concharum diſpoſitio ex teſtae ſequentibus partibus condi poterit: ad valuas nimirum, vertices, iuncturas, ligamentum, muſculorum adhaeſionem, colorem, et perioſtium reſpiciendum eſſe Cl. Auctor monet.

Valuae vel exacte ſibi ſimiles ſunt, et aut claudunt conchas, aut rimam quandam relinquunt; vel ſibi non exacte reſpondent, nec figura nec magnitudine.

Vertex in quibusdam conchis viſum fugit, in aliis conſpicitur et vel in uno valuarum extremo, vel ſupra earum medium, vel in ipſo medio, vel infra medium deprehenditur. Iunctura in aliis ſine denticulis efficitur, in aliis unus, duo vel tres dentes rotundi totidemque cauitates reperiuntur, in aliis ad decem denticuli in unaquaque valuarum, quorum alii rotundi, alii apophyſibus longioribus ſimiles totidem ſibi interpoſitas cauitates monſtrant: in aliis denticulorum numerus denarium ſuperat in quauis valua, quorum quiuis ſuo acetabulo excipitur: in aliis unus aut duo ſatis longi, figura linguam aequantes nulli cauitati inſunt.

Ligamentum vel rotundioris figurae intus in media conchae parte ſitum, vel allongatum extus ſupra verticem conchae poſitum, vel externe intra verticem adhaeret. p. 75.

Muſculorum adhaeſio in quauis valua per tot maculas, quot fuere adhaerentes muſculi deſignatur; hinc ſi volueris diſpoſitionis rationem petere, alia in quauis valua unam, alia duas, alia denique quatuor eiusmodi maculas oſtendunt.

Color iridis, aliis ad mininum in interna ſuperficie eſt, aliis quodam modo ineſſe videtur, aliis prorſus deeſt.

Perioſtium aut deeſt, aut ſi praeſens eſt, craſſitie et ſubtilitate diſtinguendum.

p. 79. Si vero ab animali intus haerente methodum quandam condere volueris, a ſequentibus potiſſimum partibus determinari poſſe cochlearum genera exiſtimat Cl. Auctor: a cornubus, oculis, ore, branchiis, pede. Ex quibus variae nunc paucis indicandae oriuntur claſſificationes.

Cornubus deſtituuntur aliae, aliae duo, aliae quatuor gerunt: ratione figurae vel conica vel cylindrica, aut circa originem paululum inflata, aut nullo modo tumida ſunt: ratione ſitus vel in radice capitis, vel in eius extremo poſita.

p. 82. Oculis ſi praeditae ſunt, vario modo illi ſe ad caput et cornua habent. Aliae enim iſtos in capite ad cornuum radices verſus interiora gerunt, alia verſus anteriora, aliae ſupra cornuum radices vel exteriora vel interiora verſus, aliae in cornuum medio, aliae in eorum ſummo apice.

Os cochlearum vel duabus maxillis ſine probolide, vel proboſcide absque maxillis inſtructum eſt.

Branchiae in aliis ſub forma foraminis rotundi in uno animalis latere conſpiciuntur, in aliis ut canalis longus, verſus animalis dorſum directus, apparent.

p. 85. Cochleae pedem ſemper ſulcis quibusdam notatum oſtendunt ita, ut in aliis omnis pedis ſuperficies ſulcata deprehendatur, in aliis non niſi unicus longitudinalis ſulcus obſeruetur, in aliis vero ſulcus anteriorem partem tranuerſim percurrens notetur, ad

quam

quam differentiam ultimam attendens Auctor cochleas pedis ratione diſpeſcit in cochleas eiusmodi transuerſali ſulco deſtitutas, et in cochleas eo praeditas.

In conchis ex partium animalis ſimilitudine ordinandis ad collare ſiue pallium, branchias, pedem et fila attendendum. Collare in ſua figura variat, cum ſit vel circumcirca in duos lobulos diuiſum, vel in uno tantum latere in duos lobos diſtinctum, vel ſaccum in utroque extremo apertum format.

Branchiarum aliis tantum una orificio ſimilis eſt, aliis duae orificio ſimiles, aliis duae ſub forma canalis diſtincti, aliis denique duae ſub forma canalis connexi.

Pes aliis deeſt, in aliis, quamuis adſit, nunquam foris apparet, in aliis vero ſemper foris conſpiciendus.

Filis quaedam fixatae adhaerent, alia iſtis deſtituuntur. Excipit has deſcriptas generum ſynopticas tabulas catalogus ſcriptorum in opere hoc citatorum, quem generalis idea totius operis ſequitur, quae continet genera et ſpecies quas Auctor eſt deſcripturus.

Familia prima cochleas continens ſectiones duas exhibet, quarum priori uniualues, alteri operculatae inſunt. Duodecim genera diſtinguit in uniualuibus cochleis: *Cymbium*, *Bulinum*, *Coretum*, *Pedipedem*, *Cochleam*, *Lepadem*, *Haliotidem*, *Tetum*, *Terebram*, *Porcellanam*, *Cypraeam*, *Peribolum*; in operculatis nouem: *Strombum*, *Purpuram*, *Buccinum*, *Cerithium*, *Vermetum*, *Trochum*, *Turbinem*, *Naticam*, *Neritam*.

Conchae ſecundam familiam conſtituunt, cuius prima ſectio biualues, altera multiualues continet. Biualues ſeptem genera exhibent: *Oſtreum*, *Iataronum*, *Pernam*, *Chamam*, *Tellinam*, *Pectunculum*, *Solenem*; multiualues duo tantum: *Pholadem* et *Teredinem*.

Specierum nomina cuiusuis generis hic allegare iusto esset longius, quin imo superfluum videtur ea adferre sine addita descriptione: cum tamen noua omnino nec hucusque audita sint exempli loco adferamus Buccini species, quas septem constituit sub nominibus sequentibus: *Barnet, Iol, Nisot, Rac, Funon, Soni, Dip.* Vt vero omnem tractationis rationem diiudicare Lectores queant, non absonum nobis videtur, exhibere cuiusdam conchylii descriptionem, ipsis Cl. Auctoris verbis, mutato tantum idiomate:

Tertiam Lepadis speciem *Soron* appellat, cuius iconem tabula secunda exhibet. Synonima sunt

Patella alba, compressa, laeuis. List. hist. Conchyl. tab. 545. *fig.* 37.

Calyptra, quae patella alba, compressa, laeuis Listeri. Klein. Tent. p. 118. *Sp.* 5. *tab.* 8. *fig.* 8.

Testa huius Soron valde crassa praecedentibus (lepadis speciebus) minus allongata: quam ego vidi, non nisi quatuor lineas lata erat.

Basis eius seu sectio coni, cuius figuram refert, rotunda a linea circulari formatur. Et interior, et exterior superficies polita, ut splendidus ipsi concilietur fulgor. Septem aut octo sulcis circularibus notata, quorum centrum vertex constituit, a quo tamen longe distant hi sulci.

Vertex obtusus, rotundior, propius ad posteriorem marginem testae situs:

Coloris est niuei.

Caput animalis valde breue et vehementer applanatum: paulo latius est sua longitudine, membrana quadam in suo extremo tectum, quae tamen vix ad cornua accedit.

Oculi posterius ad cornua adiacent, quorum pelluciditas efficit, ut ad interiorem partem eorum positos illos putaueris, nisi eos in diuerso habitu et situ consideraueris.

Pe

Pes exacte rotundus, est scilicet eius longitudo latitudini aequalis.

Pallium, quod omne corpus obtegit, tanta gaudet breuitate, ut vix eius margines conspici queant. Loco fimbriae filamentosae puncta quaedam eleuata monstrat, oculis tantum armatis detegenda.

Color animalis est albo-griseus.

Conchylium hocce in Senegaliae prouinciis inter rarissima habetur.

XI.

Auserlesene Schnecken, Muscheln und andere Schalthiere, auf allerhöchsten Befehl seiner königlichen Majestät nach den Originalien gemalt, in Kupfer gestochen, und mit natürlichen Farben erleuchtet, von FRANZ MICHAEL REGENFVS, *königlichen Kupferstecher. Koppenhagen,* 1758. Fol. Imperial. 69 *Blätter,* XII *Tafeln mit* 145 *schön illuminirten Figuren.*

et

Choix des coquillages et de crustacés peints d'après nature, gravés en taille douce et illuminés de leur vraies couleurs par FRANÇOIS MICHEL REGENFVS, Graveur du Roi, publie, par ordre du Roi etc.

h. e.

Delectus cochlearum, concharum aliorumque animalium testaceorum auspiciis et iussu Augustissimi Regis; omnia ad naturae veritatem pinxit in aes incidit et coloribus illuminauit FRANCISCVS MICHAEL REGENFVS, Calcographus Regius.

In hiſtoria et ſcientia naturali, experimentis et obſeruationibus illuſtranda, hoc potiſſimum ſeculo multi, ex eruditis occupati ſunt. In hoc vero opere digne exequendo, non tantum indolem et varietatem corporum naturalium indagare ſuſcipiunt, non tantum exquiſito verborum apparatu characteres veros, rebus naturalibus impreſſos, easque inter ſe diſtinguentes definiunt, ſed et artifices in auxilium ducunt, quorum exercitata manu ieones corporum ſcite et ad naturae varietatem delineantur, accurate in aes inciduntur, quam quidem graphices perfectionem ſplendidiſſima opera, ad explicandas res naturales exarata, ſatis et abunde teſtantur. Quoniam vero corpora, in triplici ſic dicto naturae regno occurrentia, egregia colorum elegantia et varietate ſuperbiunt, pictores quoque hunc ipſum ornatum coloribus penicillo inductis aſſequi annituntur. Laudauimus paſſim in noſtris commentariis varia naturae indagatorum ſcripta, quae hoc ornatu illuſtrata prodierunt, et inter Germanos potiſſimum egregia ſpecimina inuenimus. Indicauimus etiam cum aliis Cl. REGENFVSII inſtitutum, qui ſex tabulas animalium teſtaceorum depictas nobis exhibuerat.* Sed ulterior elaboratio pretioſiſſimi et ſplendidiſſimi operis priuatis ſumtibus ſuſtineri et ad eam, quam Auctor deſiderabat, perfectionem accedere non poterat. Hic itaque Auguſtiſſimo Daniae Regi commendatus, ab optimo hoc principe, qui non ſolum ciues ſuos ſapientia et prudentia regit, qui regnorum, eius ſceptro ſubiectorum, florem conſiliis et rebus bene geſtis et inſtitutis auget, ſed ſcientiis quoque et artibus egregium ſplendorem conciliat, et ita vere Patriae Pater dicendus eſt, id obtinuit, ut regiis ſumtibus in ſplendido opere elaborando et continuando ſuſtineatur.

Dabimus itaque ideam operis cuius primum Volumen ſingulari Regis Potentiſſimi gratia Bibliothecae noſtrae

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 92.

noſtrae academicae donatum fuit, et cuius continuationem in ſecundo volumine ferme abſolutam, in tertio iam inceptam auide expectamus, cum haec ſpecimina ſedulos naturae indagatores, et artifices naturae imitatores ad perficiendas quoque alias hiſtoriae naturalis partes excitare queant. Eae vero, quae in duodecim tabulis expreſſae ſunt animalium teſtaceorum icones, deſcriptionibus additis explicauit Cl. KRATZENSTEINIVS Phyſices Profeſſor, non nulla vero SPENGLERVS addidit. Ille quoque muſea rerum naturalium in Dania celebrium, et ſpeciatim hiſtoriam ſcriptorum, qui Conchyliologiam explicarunt, adiecit. Danica nomina Cl. ASCANIVS inuenit, et pro ſua in hiſtoria naturali acquiſita peritia cum optimis ſcriptoribus comparauit.

Praefationi igitur iungitur catalogus chronologicus ſcriptorum, qui vel ex inſtituto, vel una cum reliquis naturae operibus declaratis, conchylia varia deſcripſerunt. Traditur poſtea notitia Muſeorum p. 6. publicorum et priuatorum in Dania reperiundorum, in quibus nimirum res naturales et arte factae colliguntur et ordine diſponuntur, cum in his omnibus etiam animalium teſtaceorum inſignis apparatus inueniatur. Collectiones rerum naturalium in Muſeis principum et eruditorum circa initium ſeculi ſuperioris potiſſimum inſtitutae fuerunt, quo, erudita eorum contemplatione et comparatione ſuſcepta, naturae et artis opera magis innoteſcerent, et accuratius deſcribantur. Et in Dania quoque circa medium ſuperioris ſeculi Regium Gottorpienſe et Wormianum Muſea aliquam celebritatem acquiſiuerunt. Regium nimirum a FRIDERICO III conditum antiquitatibus et rei monetariae potiſſimum deſtinatum erat, uti ex OLIGERI IACOBAEI deſcriptionibus * apparet. Acceſſe-

* Muſeum Regium ſeu catalogus rerum tam naturalium quam artificialium, quae in baſilica bibliothecae Auguſtis-

Acceſſerunt vero aliae res naturales et conchylia potiſſimum elegantiſſima, quae CHRISTIANVS VI. Daniae Rex magno pretio ex Belgio acquiſiuerat, allatis undique per commercia Danorum in proprias exterasque prouincias ſuſcepta, nouis animalium teſtaceorum exuuiis, tanta incrementa acceperunt, ut vix aliquid noui deſiderari poſſit. Sapientiſſimo autem conſilio Regis potentiſſimi nunc factum eſt, ut Charlottoburgi nouum Muſeum omnium rerum naturalium, quae in diuerſis prouinciis danicae ditionis reperiuntur, colligatur, quod publicis demonſtrationibus inſeruiat, et eruditos ad ſimiles rerum naturalium collectiones excitet. Et Regina Sereniſſima MARIA IVLIANA, praeter varias res artefactas, etiam conchyliorum copiam colligi et in ordinem diſponi iuſſit.

Accedunt his Regiis collectionibus aliae quoque priuatae, ex quibus ne nimis diffundamur, praecipuas tantum indicare ſufficiat. Sic ſummus ſtatus miniſter Comes de HOLSTEIN inſignem rerum copiam congeſſit, qua antiquitates et hiſtoria naturalis illuſtrantur. Splendidiſſima Bibliotheca nec non Muſeum rerum naturalium, quae Conſiliarius intimus Comes de MOLTKE inſtruxit, in inſignem iam amplitudinem excreuit, et cum inter egregias virtutes, quae famam huius Illuſtriſſimi Comitis extollunt, ſcientiarum amplificandarum cura non ultima ſit, in hoc opere perficiendo maiora indies incrementa expectamus. Illuſtribus his exemplis excitati multi ex eruditis collectiones rerum naturalium in ordinem redegerunt, plura addiderunt, alii vero in itineribus, cum fructu inſtitutis, omnia cogunt, quae rerum naturalium eruditam cognitionem adiuuare poſſunt, nullumque dubium, eſt fore ut poſterum magnus

Auguſtiſſimi Daniae Norvegiaeque Monarchae CHRISTIANI V. Hafniae aſſeruantur Hafniae 1646. fol.

magnus rerum naturalium apparatus in feliciſſimum Daniae regnum confluat, quo ex his ſeminibus ſparſis futura tempora largam meſſem obtineant.

In ſermone praeliminari oſtenditur, quam ardua, grata tamen et utilis, ſit naturae contemplatio, et quod etiam in conchyliis, non tantum ad uſus varios oeconomicos et medicos, ſed ad ipſam quoque fabricam et peculiarem corporis mechaniſmum, a reliquis animalibus prorſus diſtinctum, et tandem ad varietatem colorum in tot generibus et ſpeciebus reſpicere debeamus, ſi in contemplatione animalium teſtaceorum cum fructu verſari cupimus. Erudita autem haec conchyliorum conſideratio, licet a veteribus iam incepta fuerit, tardius tamen increſcens his ipſis temporibus ad ampliorem et perfectiorem cognitionis gradum procedere videtur; quam quidem rem ab ARISTOTELE incipiendo breuiter declarauit Cl. Auctor. p. 1.

ARISTOTELES, philoſopho dignam animalium conſiderationem ſuſcipiens, paſſim etiam non nulla de conchyliorum natura propoſuit. DIOSCORIDES de uſu medico varia adiecit. PLINIVS qui in immenſo rerum ambitu, quem contemplandum ſibi ſumſerat, non omnia rite proſequi poterat, paſſim tamen obſeruationes et deſcriptiones, quae animalium teſtaceorum naturam et varietates concernunt, ſimul adduxit. AELIANVS, ATHENAEVS et OPPIANVS, qui hiſtoriam animalium ſecundo P. C. N. ſeculo ſcriptis illuſtrarunt, in conchyliorum natura et indole exponenda pauca tantum adiecerunt. Vti vero omnis ferme naturae operum contemplatio in ſeculis barbaris neglecta fuit, ſic quoque conchyliorum accurata conſideratio nulla erat uſque dum circa finem ſeculi decimi ſexti et initium decimi ſeptimi et ſcientia et hiſtoria naturalis magis efflorescceret. PETRVS BELLONIVS et RONDELETIVS varia et noua obſeruata de animalibus teſtaceis congeſſerunt. FABIVS

COLVMNA

COLVMNA non tantum purpuram, ſed et alia huic analoga conchylia deſcripſit et depinxit. CONRADVS GESNERVS praecipua ab aliis propoſita congeſſit, et ſua quoque addidit. ALDROVANDVS vero, ut in omni rerum naturalium hiſtoria, ſic etiam in opere de exſanguibus ſiue de mollibus cruſtaceis, teſtaceis et zoophytis varia quidem, quae ad naturae cognitionem faciunt, congeſſit, alia tamen ſimul compilauit, quae ſuperflua ſunt et hiſtoriam naturae non illuſtrant. ROCHEFORTIVS et DE TERTRE exotica quaedam animalia teſtacea adiecerunt; IONSTONVS autem et CHARLETONVS accurata anteceſſorum obſeruata in ordinem redegerunt. Superiori quoque ſeculo ex Danis THOMAS BARTHOLINVS et OLAVS WORMIVS non nullas obſeruationes ad hiſtoriam horum animalium ſpectantes addiderunt.

Cum autem non tantum ad teſtas, variis coloribus pictas, ſed ad internam quoque animalium fabricam reſpiciendum eſſet, in hanc ſtudioſius inquiſiuerunt ROBERTVS HOOCKE, THOMAS WILLISIVS, IOHANNES IACOBVS HARDERVS et alii; praeſtantiſſimi autem in hoc opere exequendo fuerunt IOHANNES SWAMMERDAM et MARTINVS LISTERVS, quippe qui maxima cum attentione anatomen horum animalium ſuſceperunt, et in partium ab aliis animalibus maxime diuerſa ſtructura indaganda ſoli ferme occupati fuerunt. Omittimus reliquos qui adducuntur ſeculi ſuperioris ſcriptores, et ad praeſens accedimus, in quo multi hiſtoriae naturalis ſcriptores vel in ordinandis conchyliorum generibus et ſpeciebus, vel in iconibus exhibendis, vel in eorum
p. 8. fabrica declaranda verſati fuerunt. GEORGIVS EVERHARDVS RVMPH, natione Germanus mercator et ſenator Amboinenſis, res naturales Indiae orientalis detectas Europae tradidit, inter alia quoque maximam curam in delineandis conchyliorum varietatibus

tatibus adhibuit, et id effecit, ut maiori horum animalium copia congesta, methodica dispositio ab HERBENSTREITIO nostro, KLEINIO, BREYNIO et LINNAEO aliisque accuratius definiri potuerit. Praeter RVMPHII delineationes NICOLAI GVALTIERI et DARGENVILLII icones omnino attendi merentur. In fabricam et organa motus singularia, quae in his animalibus admiranda sunt, FRANCISCVS POVPARTIVS et praestantissimus REAVMVR inquisiuerunt, et LESSERVS, in testaceo theologia DERHAMI vestigiis insistens, admirandam summi creatoris sapientiam in his animalibus declarauit.

Inter recentissimos scriptores ADANSONIVS in primis nominandus est, qui quidem Senegaliae conchylia accuratius disquirens et ad fabricam animalium mollium, in his testis degentium, accuratius respexit et inde fundamenta methodi melius disponere annisus fuit. Multa tandem, quae historiam conchyliorum illustrant, ex descriptionibus et obseruatis in scriptis Academiarum et societatum, quae scientiam naturalem concernunt, deprehendendis, seligi et ad ulteriorem perfectionem impendi debent.

His itaque praemissis non nulla de methodo ad p. II.
quam dispositio conchyliorum optime institui possit, proponuntur, qua in re cum plurima ex ADANSONI historia conchyliorum repetantur, quam nos hac ipsa parte declaratam dedimus, ulteriori recensione merito supersedemus. In indicandis vero generibus et speciebus conchyliorum in hoc opere depictorum, cum ordo methodicus attendi haud potuerit, id agamus ut nomine Linnaeano ex systemate naturae, vel hoc deficiente, alius scriptoris praemisso germanicum quoque interdum subiungamus, et ita plenam operis suscepti ideam adumbremus.

1. *Voluta papalis* testa fusiformi laeui labro denticu- Tab. I.
lato LINNAEI Syst. Nat. Edit. 1758. p. 732. §. 369. *Die Pabſtkrone.*

2. *Voluta*

2. *Voluta oliua* testa cylindroide laeui, spirae basi reflexa. L. p. 729. §. 350. *Die braune Dattel.*

3. *Venus castrensis* testa triangulo-rotundata, gibba, glaberrima, characteribus angularibus inscripta. L. p. 687. §. 105. *Die Buchstabenmuschel.*

4. *Chama optica* punicis tentoriis picta. RVMPH. p. 139. IV. 4. *Das türkische Lager.*

5. *Voluta sanguisuga* testa fusiformi sulcata, transuerse striata. L. p. 732. §. 364. *Das gekrönte Thürmchen.*

6. *Murex Saxatilis* testa quinquefariam frondosa, spira contigua, cauda abbreuiata. L. p. 747. §. 450. *Das weiße doppelte Brandhorn.*

7. *Chrysops perlata* siue *Cochlea lunaris*, olearia tricolor, miniata, nigra et obscure mustilina veste, tuberculisque post polituram perlatis, ornata. KRATZENSTEIN. *Das geperlte Orangeneye.*

8. *Pectunculus* utrinque aequaliter auritus et conuexus, intus subfluauidus, KRATZENSTEIN. *Die kleine inwendig gelbe Kammmuschel.*

9. *Murex Babylonicus* testa turrita, recto-caudata, striata, labro fisso. L. p. 753. §. 479. *Der babylonische Thurm.*

10. *Ostrea glabra* testa radiis decem planiusculis, internis striis eleuatis, duplicata. L. p. 698. §. 170.

11. *Pectunculus semiauritus*, altius et utrinque aequaliter formicatus, coloris coccinei. KRATZENSTEIN.

12. *Turbo Cochlus* testa imperforata, ouata, striata, stria unica dorsali crassiore. L. p. 762. §. 534. p. 764. §. 544.

Tab. II 13. *Trochus asper* fuscus et albus fenestratus. KLEIN. §. 66. 5. *Meerkopf topfachtige Schraubenschnecke.*

14. *Buccinum Harpa* testa costis aequalibus, longitudinalibus, distinctis, mucronatis, columella laeuigata. L. p. 738. §. 400. *Die federförmige Harfenmuschel.*

15. *Volu-*

15. *Voluta porphyria* teſta cylindroide laeui, ſpirae baſi obliterata, labro medio retuſo. L. p. 729. §. 349. *Die bunte Achatdattel.*

16. *Oſtrea glabra* teſta radiis decem laeuibus planiuſculis, internis ſtriis eleuatis, duplicatis. L. p. 698. §. 170.

17. *Pectunculus* leuiter utrinque auritus, in vertice marmoreus. KRATZENSTEIN.

18. *Murex turbinellus* teſta ecaudata turbinata, ſpiris conicis, ſuperioribus maioribus, columella plicata. L. p. 750. §. 466. *Die großgezackte Maulbeere.*

19. *Oſtrea Iacobaea* teſta radiis quatuordecim angulatis, longitudinaliter ſtriatis. L. p. 696. §. 155. *Pilgrimsmuſchel.*

20. *Conus tulipa* teſta oblonga, gibba, laeui, apertura dehiſcente. L. p. 717. §. 282.

21. *Murex femorale* teſta ſuturis varicoſis decuſſatis trigona, rugoſa, antice noduloſa, apertura edentula antice transuerſa. L. p. 749. §. 456. *Das gelbe Kinckhorn mit Runzeln und Knoten beſetzt.*

22. *Chama* ſubrotunda aequilatera, craſſa, brunis maculis et ſtriis ſulcatis notata. KRATZENSTEIN. *Gleichſeitige Gienmuſchel.*

23. *Patella graeca* teſta ouato conuexa, margine introrſum crenulato, vertice perforato. L. p. 784. §. 683.

24. *Patella granularis* teſta dentata ſtriis eleuatis, mucronibus imbricatis. L. p. 782. §. 662.

25. *Cardium unedo* teſta ſubcordata, ſulcis lunulis coloratis. L. p. 680. §. 68. *Die rothe Erdbeere.* Tab. III.

26. *Nerita chamaeleon* teſta ſulcata, ſulcis viginti, labiis dentatis, interiore rugoſo tuberculato. L. p. 779. §. 644.

27. *Trochus Magus* teſta oblique umbilicata, conuexa, ſupra obtuſe noduloſa. L. p. 757. §. 507. *Die knotichte ſeegrüne Kraeuſelſchnecke.*

28. *Tellina planata* teſta ouata, compreſſa, transuerſim ſubſtriata, marginibus acutis, pube ſubtomentoſa, L. p. 675. §. 40.

29. *Conus literatus* teſta conica alba, punctis fuſcis, L. p. 712. §. 252. *Der erſte weiße Tyger.*

30. *Pecten tenuis* ſtriatus, ſtriis raris, latis et depreſſis etc. GVALTIERI. T. 74. A. B. C.

31. *Pectunculus violaceus* nigris albisque radiis diſtinctus. KRATZENSTEIN.

32. *Murex hippocaſtanum* teſta caudata, ſubouata, ſtriata, quadrifariam ſubſpinoſa, apertura transuerſim ſtriata. L. p. 751. §. 471. *Die Stachelnuß.*

33. *Voluta mitra epiſcopalis* teſta fuſiformi, laeui, labro denticulato. L. p. 732. §. 368. *Der Biſchofshuth.*

34. *Nerita Camena* teſta umbilicata, laeui, ſpira ſubmucronata, umbilico gibbo bifido. L. p. 776. §. 623. *Onychfarbene halbe Mondſchnecke oder Schwimmſchnecke.*

35. *Conus imperialis* teſta albida, faſciis liuidis cingulisque linearibus albo fuſcoque articulatis. L. p. 712. §. 251. *Die Kayſerkrone vom zweyten Range.*

36. *Pecten mediocris* latus et rotundus, auribus inaequalibus dentatis, variegatus, circiter viginti plicis tenuibus. KLEINIVS §. 341. 38.

37. *Conus baſeos laeuis.* Voluta longitudinalibus filis faſciata, Leo, a maculis leoninis, baſeos planae faſciis obſcuris. KLEINIVS. §. 187. 10. K. *Der Löwengriff.*

Tab. IV. 38. *Pecten tenuis* quartus, citrini coloris RVMPH. p. 142. III. *Der Königsmantel.*

39. *Venus literata* teſta ouata, antice angulata, ſtriis transuerſis. L. p. 689. §. 124. *Die groſſe Buchſtabenmuſchel.*

40. *Chama quae pectunculus grauis*, ſubfuſcus radiatus. LISTERI Tab. 268. *Gelbe braungefleckte Gienmuſchel.*

41. Cha-

41. *Chama quae pectunculus* velut literulis quibusdam rufis eleganter exaratus LISTERI Tab. 246. *Die runde arabiſche Buchſtabenmuſchel.*

42. *Turbo pica* teſta umbilicata, conica, rotunda, laeui, denticulo umbilicali. L. p. 763. §. 542. *Die große gewölckte Kräuſelſchnecke.*

43. *Nerita polita* teſta laeui, labiis utrisque dentatis. L. p. 778. §. 638. *Die Nerite mit drey rothen Banden.*

44. *Oſtreum* ſquamoſum foliaceum, colore citrino. D'ARGENVILLE. p. 314. 5.

45. *Strombus Lambis* teſtae labro heptadactylo digitis rectiuſculis, fauce laeui. L. p. 743. §. 425.

46. *Conus literatus* teſta conica alba, punctis fuſcis. L. p. 712. §. 252. *Der Parder.*

47. *Mytulus ungulatus* teſta laeui, ſubcuruata, violacea, margine anteriore inflexo, cardine terminali obtuſiuſculo. L. p. 705. §. 216.

48. *Spondylus gaederopus* teſta ſubaurata ſpinoſa. L. p. 690. §. 127.

49. *Murex melongena* teſta ecaudata, obouata, glauca, anfractu ſubſpinoſo, ſpira prominula, apertura laeui. L. p. 751. §. 472. Tab. V.

50. *Murex pyrum* teſta ſuturis varicoſis, ouata, transuerſim ſulcata, nodoſa, cauda longiore, flexuoſa. L. p. 749. §. 462.

51. *Pecten tenuis* auribus inaequalibus, ſtriis craſſioribus, cinnabarinus, maculis albis notatus KRATZENSTEIN.

52. *Turbo marmoratus* teſta imperforata, ſubouata, laeui, ſupra marginato-noduloſa. L. p. 763. §. 539. *Das geſtreifte Rieſenohr.*

53. *Conus marmoreus* teſta conica fuſca, maculis ouatis, albis, ſpirae anfractibus canaliculatis. L. p. 712. §. 250 *Das Marmorhorn.*

54. *Nerita albumen* teſta umbilicata conuexa, umbili-

co ſubcordato, lobo explanato. L. p. 776. §. 616. *Das oranienfarbene Dotter.*

55. *Pecten tenuis* auribus inaequalibus, ſtriis raris, latis, maculatis. KRATZENSTEIN.

56. *Cardium iſocardia* teſta cordata, ſulcis ſquamis fornicatis, imbricatis. L. p. 679. §. 66. *Das kleine Nagelduplett.*

57. *Cypraea argus* teſta ſubturbinata, ſubcylindrica, adſperſa ocellis, ſubtus maculis quatuor fuſcis. L. p. 719. §. 287. *Der Argus mit braunen Augen und braunen Rande.*

58. *Bulla ampulla* teſta rotundata, opaca, vertice umbilicato. L. p. 727. §. 334. *Das Kibitzey.*

Tab.VI. 59. *Oſtrea pallium* teſta radiis duodecim conuexis, ſtriata ſcabra, ſquamis imbricata. L. p. 697. §. 163. *Der Königsmantel.*

60. *Murex pyrum* teſta ſuturis varicoſis, ouata, transuerſim ſulcata, nodoſa, cauda longiore flexuoſa. L. p. 749. §. 462. *Die getrocknete Birne.*

61. *Trochus perſpectiuus* teſta crenato umbilicata, conuexa, obtuſa, marginata. L. p. 757. §. 503. *Das Perſpectiv.*

62. *Conus textile*, teſta venis reticulatis luteis, maculis luteis fuſcisque. L. p. 717. §. 278. *Das güldene Stück.*

63. *Cypraea*, quae porcellana violacea ſpuria KRATZENSTEIN.

64. *Murex rana* teſta ſuturis ſubuaricoſis, oppoſitis, compreſſis, ſcabra, cingulis muricatis, apertura edentula ouata. L. p. 748. §. 452. *Die Frantzöſiſche Beuteltaſche.*

65. *Conus capitaneus* teſta conica, glabra, baſi fuſca, ſpira conuexiuſcula. L. p. 715. §. 254. *Die aurorgelbe Bandtoote mit drey gefleckten Banden.*

66. *Turbo pica* teſta umbilicata, conico rotundata, laeui, denticulo umbilicali. L. p. 763. §. 542. *Der zweyte glatte Oelkrug.*

67. Mu-

67. *Murex Brandaris* teſta ſubouata, ſpinis rectis cincta, cauda elongata, ſubulata, recta ſpinisque obliquis circumdata. L. p. 747. §. 446. *Der ſtachlichte Schnepfenkopf.*

1. *Buccinum* obſcure brunum, eminentiis acuminatis ſtellaribus armatum, in prima helice faſcia alba diſtinctum. KRATZENSTEIN. T. VII.

2. *Conus ſtercus muſcarum* teſta baſi emarginata, ſtriata, ſpirae anfractibus canaliculatis. L. p. 715. §. 269. *Die ſchwarz und weiß gefleckte Volute.*

3. *Pecten* (*St. Iacobi concha* ſiue pallium variegatum,) aequiauritus, plano conuexus, plana valua rubra, conuexa roſea duabus zonis albis diſtincta. KRATZENSTEIN.

4. *Pecten* inaequaliter auritus cardine flauo, fimbriaque bruna, zonis nigris diſtincta. KRATZENSTEIN.

5. *Pecten* ſuper veſte ſordide flaua zonis tribus miniatis diſtinctus. KRATZENSTEIN.

6. *Murex ramoſus* teſta trifariam frondoſa, ſpira contigua, cauda truncata. L. p. 747. §. 448.

7. *Conus capitaneus* teſta conica, glabra, baſi fuſca, ſpira conuexiuſcula. L. p. 713. §. 254.

8. *Mytulus* capite roſeo radiis albis coeruleisque diuiſo, limbo indico. KRATZENSTEIN.

9 et 10. *Rhombus cylindricus pyramidalis* ex ruffo nebulatus, lineisque quibusdam interſectis circumſcriptus. LISTERI Tab. 764.

11. *Venus Dyſera* teſta ſubcordata ſulcis tranuerſis remotis reflexis, margine crenulato. L. p. 685. §. 93. *Das alte Weib mit Flecken.*

12. *Chama literata* rotunda, umbone cardinum protenſo, aequaliter expanſa, plana, tenuis, ſuper circinis nigris undis inſcripta. KLEIN. §. 385. ſp. 1. 2.

13. *Conus ſtriatus* teſta ouato oblonga, gibba, nebuloſa, ſtriis tenuiſſimis parallelis fuſcis. L. p. 716. §. 277. T. VIII.

14. *Turbo delphinus* teſta umbilicata, depreſſa, hiſpida, ſpinis ramoſis. L. p. 764. §. 546. *Das geflügelte Waldhorn.*

15. *Pecten* binauritus, croceus, radiis albis diſtinctus. KRATZENSTEIN.

16. *Venus maculata* teſta cordata, laeui, maculis exoletis ſparſis. L. p. 686. §. 101. *Die rothgefleckte Agathmuſchel.*

17. *Chama* aequalibus virgis incarnatis et faſcis conisque brunis diſtincta. KRATZENSTEIN.

18. *Turbo Petholatus* teſta imperforata, ouata, laeui, anfractibus ſurſum ſubangulatis. L. p. 762. §. 533. *Die Naſſauer oder Petholaſchnecke.*

19. *Conus virgo* teſta conica, baſi coeruleſcente. L. p. 713. §. 253.

20. *Auris marina* dorſo viridi, facie interna perlata. KRATZENSTEIN.

21. *Bulla ampulla* teſta rotunda, opaca, vertice umbilicato. L. p. 727. §. 334. *Das Kibitzey mit zwey Banden.*

22. *Tellina virgata* magna, albida, ex rubro late radiata. KLEIN. 395. 3. b. Tab. XI. no. 60.

23. *Pectunculus* non auritus, alte fornicatus aequalium teſtarum, zonis miniatis et coeruleis ſuper fundo flauo pictus. KRATZENSTEIN.

24. *Pecten* ſimilis praecedenti, zonis conuexis ſuper veſte candida ornatis. KRATZENSTEIN.

25. *Conus aulicus* teſta venis reticulatis luteis, maculis luteis fuſcisque picta. L. p. 717. §. 279. *Die Brunette.*

Tab. IX. 26. *Murex ſaxatilis* teſta quinquefariam frondoſa, ſpira contigua, cauda abbreuiata. L. p. 747. §. 450. *Der doppelte ſpaniſche Reuter.*

27. *Turbo petholatus*, teſta imperforata, ouata, laeui, anfractibus ſurſum ſubangulatis. L. 762. §. 533.

28. *Pecten tenuis* flauus, leuiter canaliculatus. LISTERI. Tab. 170.

29. Ha-

29. *Haliotis asinina* testa oblonga, extra foramina angulata, striis eleuatis. L. p. 780. §. 652.
30. *Spondylus gaederopus* testa subaurita spinosa. L. p. 690. §. 127. *Der Bettlersmantel oder Eselsfuß.*
31. *Patella granatina* testa angulata striis undecim laeuibus. L. p. 782. §. 663.
32. *Mytulus* minor purpureus Guineensis KRATZENSTEIN.
33. *Pecten* binauritus cinnabarinus, capite roseo auriculis rubris. KRATZENSTEIN.
34. *Spondylus* siue ostreum saxatile inaequaliter auritum coccineum, cardine flauescente. KRATZENSTEIN.
35. *Murex tulipa* testa ventricosa, oblonga, laeui, anfractibus rotundatis, apertura laeui, cauda patula striata. L. p. 754. §. 489. *Das achatfärbige Tritonshorn.*
36. *Murex Melongena* testa ecaudata obouata, glauca, anfractu subspinoso, spira prominula. L. p. 751. §. 472. *Das blaue Band.* Tab. X.
37. *Cypraea talpa* testa subturbinata, subcylindrica testacea, fasciis pallidis, subtus incrassata, fusca. L. p. 720. §. 292. *Der Maulwurff.*
38. *Voluta ouata*, porcellana longa, Argus, ocellis albis, maculas fuscas intercipientibus. KLEIN. §. 219. 2. d.
39. *Trochus Labio* testa imperforata, ouata, striato tuberculata, apertura dentata. L. p. 759. §. 516.
40. *Buccinum Vibrex* testa laeui tota, labro postice muricato. L. p. 737. §. 392.
41. *Buccinum spiratum* testa laeui, anfractibus canali plano distinctis, columella abrupta, perforata. L. p. 739. §. 401.
42. *Auris marina* Guineensis, dorso ex albo et rubro variegato. KRATZENSTEIN.
43. *Turbo argyrostomus* testa umbilicata subouata, exarata lineis dorsalibus elatioribus transuerse striatis.

tis. L. p. 764. §. 544. *Das bunte Silbermündchen.*

44. *Turbo* ſimilis Cochlea lunaris viridis. LISTERI Tab. 19. no. 4.

45. *Pecten* in aequaliter auritus ſubruffus. LISTERI Tab. 181.

46. *Conocochlis oxyſtrombus* faſciatus ſupra, infra ſeptem ſpiris undatus, ore ſubrotundo laeui. KLEIN. §. 86. 5. Tab. II. no. 43.

47. *Conus figulinus* teſta baſi emarginata rugoſa, ſpira acuminata, anfractibus planiuſculis. L. p. 715. §. 267.

48. *Chama Gigas*, teſta plicata ſquamoſa, ano hiante crenato. L. p. 691. §. 130. *Die Nagelſchulpe.*

49. *Chama Hippopus* teſta plicata muricata, ano retuſo, clauſo, dentato. L. p. 691. §. 131. *Der Pferdefuß.*

Tab. XI. 50. *Cochlea os argenteum* minus, tenue, viride, maculis croceis variegatum. KRATZENSTEIN.

51. *Pecten* ex atro ruffeſcens, tenuis, admodum cauus, leuiter canaliculatus Iamaicenſis. LISTERI Tab. 64. fig. D.

52. *Pecten minimus* inaequaliter auritus, tenuis, anguſte coſtatus, obſcure brunus, intus violaceus. KRATZENSTEIN.

53. *Pecten binauritus* St. Iacobi concha, planus, conuexus, variegatus. KRATZENSTEIN.

54. *Voluta caudidiſſima* in qua Leonum imagines luteo ſcribuntur colore. HEBENSTREIT. M. R. p. 311. *Der Löwengriff.*

55. *Voluta candidiſſima* rufis in albo imaginibus. HEBENSTREIT M. R. p. 311.

56. *Pecten* aequiauritus, aurantius, ſecundum longitudinem plicarum ſulcatus. KRATZENSTEIN.

57. *Turbo pica* teſta umbilicata, conico rotundata, laeui, denticulo umbilicali. L. p. 763. §. 542.

58. *My-*

58. *Mytulus* expolitus, roſeus, coeruleſens, virgis obſcure indicis diſtinctus. KRATZENSTEIN.

59. *Pecten* minimus aequiauritus, faſciatus, conicus. KRATZENSTEIN.

60. *Pecten, concha palliata* tenuis auribus inaequalibus, citrini coloris. §. 70. f.

61. *Murex Morio* teſta patula, caudata, nigra, faſcia alba, ſpirae anfractibus ſubnodoſis, columella rugoſa. L. p. 753. §. 481. *Die Mohrenbande.*

62. *Murex colus* teſta turrita, ſubrecto caudata, ſtriata, nodoſo circinata, labro crenulato. L. p. 753. §. 480. *Der lange Weberſpuhl.* Tab. XII

63. *Pecten* variegatus, quibusdam coſtis aſper, caetera laeuibus. LISTERI. Tab. 185.

64. *Pecten* inaequaliter auritus, ex aurantio puniceus obſcurioribus maculis ſignatus. KRATZENSTEIN.

65. *Rhombus* ſubpurpureus ex ruffo nebulatus. LISTERI. Tab. 745.

66. *Abacus Sinenſis* ſiue conus fuſcus, ocellis albis, regulariter diſpoſitis donatus. KRATZENSTEIN. *Das chineſiſche Rechenbret.*

67. *Buccinum bilingue* laeue, valde tenue, anguſtum ex ruffo variegatum, clauicula productiore. LISTERI. Tab. 852. fig. 7. *Die Canarienſchnecke.*

68. *Conus Monachus* teſta gibba, fuſco coeruleſcente nebulata, acuta, baſi ſtriata. L. p. 714. §. 262.

69. *Buccinum ruffum* teſta decuſſatim ſtriata, cingulis nodoſis interdiſtinctis, linea gemina, apertura dentata, cauda recurua. L. p. 736. §. 385.

70. *Argyroſtomus* tenuis, croceus, ſulcatus, albidis maculis notatus. KRATZENSTEIN.

71. *Mytulus*, ut videtur, expolitus, maris balthici, virgis indicis ſuper fundo cinereo albo conſpicuis. KRATZENSTEIN.

72. *Muſculus* maior latiſſimus ex caſtaneo purpuraſcens. LISTERI. Tab. 364.

73. *Arca Nohae* teſta oblonga ſtriata, apice emarginata, natibus incuruis remotiſſimis margine integerrimo hiante. L. p. 693. §. 140.

74 *Cypraea cribaria* teſta umbilicata, lutea, punctis rotundis albis. L. p. 723. §. 310.

75. *Granum oryzae* Porcellana minor albida, purpuraſcens, nodoſa, per medium dorſi ſulcata, natibus aurantiis. KRATZENSTEIN.

76. *Trochus* viridis nodoſus. KRATZENSTEIN.

77. 78. *Pectunculi* non auriti, alte fornicati, zonis flauis ſuper fundo candido, vel ruffis ſuper fundo cyaneo picti. KRATZENSTEIN.

XII.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences et belles Lettres. Année 1756. à Berlin, chez Haude et Spener. 1758. 4. alph. 2. pl. 23. tab. aen. 12.

i. e.

Hiſtoria Academiae Regiae Scientiarum et elegantiorum Litterarum. an. 1756. Berolini etc.

Quae in claſſe philoſophica experimentali continentur, ſequentia reperies.

p. 3. 1) *Diſquiſitiones de vi imaginationis grauidarum in foetus, occaſione canis monſtroſi.* Auctore Cl. ELLER. Cum in mutandis infantum, intra uterum adhuc degentium, corporibus, ab omni aeuo maternae imaginationi multum tribuerint philoſophi, variique varie rem hanc declarare anniſi ſint, Noſter ideo, ſententiis de hac re prolatis nondum contentus, omni nunc ſtudio diſquirit, num fieri poſſit, ut foemina, tempore grauiditatis horrore extraordinario

ordinario affecta, vi proinde imaginationis foetum in utero partibus quibusdam priuet, figuram humanam in non nullis corporis locis mutet, vel et adeo cauſſam praebeat, ita, ut vel ungulae, cornua etc. producantur, vel etiam talia, ut ceraſa, fraga etc. quae antea vehementer appetiit, neque tamen particeps eorum fuit, exteriori poſthac corporis habitu imprimantur. Ad dirimendas igitur has quaeſtiones primo oſtenditur, quid ſit imaginatio. Haec non niſi rei abſentis repraeſentatio dicitur, ope neruorum excitanda. Aſt neruos vera inſtrumenta ſuppeditare, certiſſimum eſt; ita, neruis opticis aut acuſticis deſtructis, ideae proinde, quas de ſono aut rebus, per viſum tantum diiudicandis, habemus pereunt. Quid? quod nerui, a rebus ſenſualibus affecti, tam vehementes per ſaepe excitant affectus, ut non ſolum ſanguinis volumen, ſed et totum adeo corpus inſigniter moueatur. Cum itaque inter matrem et foetum vinculum arctiſſimum ſit, fieri omnino poteſt, ut matris, vehementi terrore primis menſibus perculſae, totum corpus, in primis ſanguinis maſſa mire moueatur. Hinc tenellum embryonis corpus turbatur, atque ita quidem, ut, leuiſſima uteri mutatione facta, obſtaculum naſci poſſit, quo pares aliqua, in primis in extremitatibus, comprimatur ſicque impediatur, quo minus euolutio eiusdem ſuccedat. Ita arteria v. g. brachialis compreſſa et obſtructa euolui poſtea nequit, inde demum fit, ut infans, in lucem editus, absque brachio deprehendatur. Pari etiam ratione maculae iſtae cutaneae, ceraſa aliaque, quae naeuos maternos vocant, declarari poſſunt. Fae enim venae embryonis, corpore matris turbato, comprimantur, nonne tunc arteria, cum vena iſta communicans, ſanguinemque continuo appellens, ob denegatum tranſitum, fluidum in vas lymphaticum proximum cogit, hoc extendit, rubrisque globulis replet? Nonne igitur maculae in cute tunc perſiſtunt,

et

et ſi ſphaericam paulo figuram habent, ceraſa, aut ſi paululum eleuatae, pilis inſimul dilatatis apparent, mures repraeſentare videntur? Quicquid autem de neruorum foetus communicatione cum neruis matris, deque vaſorum et foetus et matris anaſtomoſi ad explicandam imaginationis vim proferant, id ſane veritati non conſentaneum eſt; ſiquidem nec ullum neruorum inter foetum et matrem commercium, nec etiam peculiaris vaſorum anaſtomoſis demonſtrari unquam poterit. Ergo nunquam imaginationis maternae vis, ſed mutatus tantum et inordinatus ſanguinei nerueique fluidi in matre motus, ſingulares iſtos in foetu producit effectus.

p. 10. Cum vero et alia ſaepe monſtra producantur, quae partibus abundant et ideo *Monſtra per exceſſum* vocantur, hactenus dicta ibi valere nequeunt, ſed alia ratio locum inueniat, neceſſe eſt. Hac itaque occaſione canis monſtroſi, qui Berolini capite Galli Indici prodiit et depictus hic eſt, hiſtoria traditur. Accidit nimirum, ut canis grauida villam ſaepe, ubi Indicus Gallus fuit, intraret, ita ut Gallus, quoties iſta acceſſit, eam roſtro inuaderet atque expelleret. Quo facto canis demum pariens monſtrum iſtud Galli Indici capite edidit. In cauſſam nunc mirandae huius rei Cl. Auctor inquirens, varias ea propter de generatione ſententias recenſet, inter quas autem ea in primis, cuius auctor Cl. BVFFON eſt, Noſtro arriſit. Iſte nimirum vir, cum corpuſcula, quae LEEVWENHOEKIVS in ſemine vidit, et animalcula vocauit, in omnibus corporibus unius eiusdemque generis eſſe, deprehenderit, ea proinde pro animalculis ultro non habuit, ſed moleculas tantum ſeu partes organicas mobiles, nutritioni aeque ac generationi corporum inſeruientes, nuncupauit. Haſce moleculas omnes, ceu prima elementa omnium animalium et vegetabilium, conſiderans, in corporibus recondi, iisdemque teſticulos et ouaria pro

recepta-

receptaculis esse, asseruit. Quodsi nunc, secundum hocce assertum, post conceptionem utriusque liquoris seminalis mixtio facta est, fit deinde, ut moleculae a capite v. g. prouenientes, secundum affinitatis leges, nullum alium locum occupent, quam illum, qui pro capite est. His praemissis Noster nunc exponit, qui fieri potuerit, ut canis saepe ad Indicum Gallum accedens, catulum, capite dicti Galli praeditum eniteretur. Accidere nimirum potuit, ut ista canis eo tempore, dum coire cupiuit, semen Galli Indici effusum aut oua faecunda lamberet et deuoraret. Hoc autem facto, moleculae illae, generationi aptae, et in semine Galli in huius animalis naturam iam mutatae, per leges circulationis ad uterum tempore gestationis determinatae, sedem ibi fixerunt et cum moleculis, cani propriis, mixtae mutationem produxerunt.

2) *Continuatio examinis, experimentis stabiliti, quod terram in aqua destillata purissima reperiri, probat.* Auctore Cl. MARGGRAF. Quae de aquae purissimae terra septimo huius historiae Tomo Cl. Auctor inseruit, quaeque etiam a nobis * recensita iam habentur, ea nunc, nouis experimentis super additis clarius hic exponit et confirmat. Iisdem ergo cautionibus, ad disquirenda corpora naturalia necessariis, quas tunc temporis usurpauit, etiam hic usus est, quas vero, cum superius a nobis tacta iam sint, praeterire non dubitamus. Ex his itaque ea recensenda nobis sumimus, quae terrae istius praesentiam magis magisque euincunt. p. 20.

Aquae pluuialis aut niualis, ter decies destillatae, uncias sex purissimae retortae, cui purissimum pariter recipiens vitreum vas applicuit, indidit et in balneo arenae, ad gradum ebullitionis, destillauit, usque donec una tantum drachma remanserit. Residuum p. 23.

* vid. Comment. nostr. Vol. III. Part. II. p. 248.

am hoc examinatum aliquo modo turbidum fuit, quodque in deſtillatione tranſiit, vaſis inuerſis in retortam iterum redire coegit, idque trigeſies, repetiit. Quo facto aquam iſtam, antea tranſparentem, ſemper turbidiorem, tandem prorſus turbidam, inque fundo retortae puluerem album corruſcantem ſeu terram ſeparatam deprehendit. Monet autem Noſter, fortem ſemper inter deſtillandum ſeruari debere caloris gradum, quia animaduertit, quod, quo fortior calor fuerit, eo plus terrae ſe ſeparauerit.

p. 26. Ad ſeparandam hancce terram calorem etiam ſolis aeſtiuum adhibuit, et, omnibus cautionibus adhibitis, terram quoque ſeparatam obtinuit. Tandem etiam aquam hanc deſtillatam puriſſimam, vaſis optimę clauſis indidit et per octo ſeptimanas continuae agitationi molendini expoſuit. Quo facto vaſa firmiter etiamnum clauſa, aquam vero intus contentam prorſus non turbatam ſed puram reperit. Licet autem haec agitatio nullam mutationem induxerit aquae, conquaſſatio tamen ab homine quodam per octo dies continuata, turbidam iſtam reddidit. Ex his autem, terram iſtam et absque calore adhibito, in multo minori tamen copia, ſeparari omnino poſſe, Noſter colligit.

p. 28. Hanc terram examini ulteriori ſubiecit, et quatuor eiusdem grana teſtae commiſſae, aliique teſtae quatuor itidem grana vitri, ſubtiliſſime triti, indidit, et utraque igni forti per horam expoſuit. Diſquirens poſtea iſthaec corpora, vitrum tritum fuſum, terram vero plane non mutatam reperit. Aſt, alio experimento terram hanc fuſam animaduertit. Cum autem id non niſi terris compoſitis accidere poſſit, puritatem itaque huic terrae conciliare Noſter ſtuduit, inde terram memoratam cum acido nitroſo miſcuit, cum quo efferueſcens ultra ponderis dimidium ſoluta fuit. Quod remanſit et omnem ſolutionem reſpuit, iterum igni fuſorio expoſuit, et plane non mutatum

mutatum demum reperit. In ſolutionem cum acido nitroſo factam acidum vitriolicum inſtillauit et verum tunc praecipitatum ſeleniticum obtinuit. Adiecit etiam eidem ſolutioni, alio vaſe, detentae, ſalem tartari et pariter praecipitatum albo rubeſcens animaduertit, quod edulcoratum veram indolem calacreae oſtendit. Terram tandem, quae in filtro remanens omnem ſolutionem cum acidis reſpuit, nec per ſe igni forti fundi potuit, cum ſale tartari miſcuit et igni fuſorio miſcelam hanc exponens purum demum vitrum obtinuit.

3) *Obſeruationes de morbis cordis.* Auctore Cl. MECKEL. Tradit hic Cl. Auctor continuationem obſeruationum undecimo huius Hiſtoriae Tomo* inſertarum. Cum autem morbos, quos cordis cum pericardio concretio, a coagulata lympha aborta producit, ibi pertractauerit, nunc alias cordis affectiones, atque vehementiores quidem, inflammationem nimirum cordis et pericardii recenſet. Ad comprobandum huncce ſtatum morboſum varias obſeruationes adducit, ex quibus primaria momenta hinc inde decerpere liceat. p. 31.

In iuuene, viginti duorum annorum, pericardium inferius inflammatum, vaſa eius turgida, pulmones quidem naturales, ſed vaſa eorum copioſo ſanguine referta, animaduertit. Pericardio aperto pus craſſum et flauum in conſpectum venit, cordi vero cruſta craſſa adhaeſit, ita, ut difficulter ſeparari poſſet. De reliquo exterior cordis lamina inflammata fuit, neque vero eius fibrae, et praeter pus nullam aquam in ſe recondidit pericardium. Ex his itaque ipſarum fibrarum cordis inflammationem, quam obſeruatam non nulli tradunt, imaginariam eſſe, eamque non niſi in eius velamento locum habere, Noſter colligit.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. IV. p. 630.

git. Statim enim ac fibrae cordis inflammentur, motum eius ceſſare, putat.

p. 34. In homine quinquagenario totam interiorem laminam pericardii inflammatam, cauitatem vero copioſo pure repletam, laminamque internam cruſta, alba, tenaci, purulenta, fereque membranoſa obtectam, atque exterius pinguedinem circumfuſam, ſolita duriorem et ad aortam fere ſcirrhoſam, reperit. Pericardio ſeparato et pure fluido remoto, cor cruſta tenaci purulenta tectum apparuit, qua remota alia cruſta purulenta, cordi et vaſis maioribus valde adhaerens, in conſpectum venit. Sub hac parui faſciculi muſculoſi, ob laminam cordis arroſam, fere nudi apparuerunt, ita, ut pus ipſe fibrarum interſtitia iam intraret. Auriculae copioſo pure craſſo obductae et inflammatae, ventriculus vero ſiniſter non inflammatus fereque vacuus fuit. Dextrum ventriculum una cum auricula et arteria pulmonali copioſus repleuit ſanguis, materie alba intermixtus. Caeterum omnes cordis venae, ad cauam venam tendentes, coagulo nigro, albis ſtriis praedito, planae fuerunt, pulmonales vero paucum minusque denſum ſanguinem continuerunt. In venis hepatis, ad cauam euntibus, multus ſanguis coagulatus niger, fibris albis denſis mixtus, in portarum vero ramis pariterque liene paucus idemque valde fluidus apparuit, atque aorta, una cum ramis fere vacua, paucum admodumque fluidum in ſe recluſit ſanguinem. Ex his itaque inflammationem in minimis exterioris et celluloſae, pinguedine repletae, tunicae cordis vaſculis initium capere, et ob deficientem vaſculorum preſſionem eandem facile oriri poſſe, ſequitur. Obſtructa autem facile in ſuppurationem abeunt, qua facta, membrana arroditur et deſtruitur. Puris quantitatem vaſa exhalantia arroſa, liquidumque hinc continuo effundentia largiuntur. Cruſta vero in interiori pericardii et exteriori cordis lamina deprehenſa

prehenſa a liquore pericardii coagulabili dependet. Cumque pus reſorptum fibras albas undiquaque immiſcuerit, immutabilis ergo eius natura eo eluceſcit. Haecce porro obſeruatio, contextum celluloſum pinguem inflammationi fauere, nullum tamen, niſi cordis pinguedo antea induretur, ei locum relinqui, probat. Atque cum eadem quoque oſtenderit, celluloſum, qui cor ambit, textum dein eius ſuperficiem, minime autem ipſum cor inflammari, cauſſa proinde in motu continuo, ſanguinem ſemper ex venis expellente, quaerenda eſt. Dum autem, hoc facto, ſanguini arterioſo nullum obſtaculum naſcitur, arteriae ergo non poſſunt non ſanguinem omnem expellere; qua propter cordis quoque vaſa ſemper in tali ſtatu poſt mortem vacua reperiuntur. Sed nulla etiam inflammatio in ipſis cordis fibris ob aliam rationem locum habere poteſt, quia alias, obſtructione facta, fibrae tunc rigidae euadunt, hincque cordis motus cumque hoc vita inſimul ceſſat. Aſt accidit demum; antequam vero id fit, cordis vires augeri, ſequitur. His autem auctis ſanguis magis condenſatur, condenſatus vero in arterias fortius pellitur, quae ob impulſus vehementiam fortius reagunt, celeriusque in venas pellunt, hinc ergo ſanguinis condenſati accumulatio in venis. Arteria pulmonalis debilior cum ſit aorta, ſanguinem proinde attenuare nequit, hinc iſte condenſatus in ea cernitur. Ergo etiam condenſatus in ventriculo dextro colligatur, neceſſe eſt. Inde autem anxietates et ſymptomata reſpirationis difficilis eorum, qui inflammatione cordis laborant. Cum denique ſanguis in liene inque vena portarum ſimul fluidus repertus ſit, illum ergo hepati famulari, haec obſeruatio euincit.

In iuuene, qui inflammatione cordis periit, pe- p. 41.
ricardium pure plenum inque venis ſanguinem non coagulatum, ſed diſſolutum Noſter reperit. Id autem ex viuida cordis contractione, quae iuuenibus

eſt, deducit. Hac enim omnem ſtatim ſanguinem in putredinem reſolui, aſſerit.

p. 42. In ſene ſexagenario, qui ex infima plebe, eiusque proinde vitae genus minus cognitum fuit, aortae interiorem ſuperficiem ad iliacas uſque exulceratam, idque eo magis, quo propior cordi fuit, vidit; ipſum tamen cor non mutatum deprehendit. Mirum ergo, unde factum fuerit, ut aortae ſuperficies ſenſim ſenſimque et quidem per longum tempus exulcerari poſſet. Iſtum enim hominem de vehementi ad dorſum et thoracem dolore diu multumque conqueſtum eſſe, Noſter perhibet.

p. 46. In alius ſexagenarii corpore diſſecto aneuriſma aortae vidit, atque eo quidem in loco, ubi arcus eiusdem arteriam pulmonalem tranſcendit. Statum hunc morboſum ex valida contractione, vi interim aortae debili exiſtente, dependere, autumat.

p. 49. In alio corpore ſenili valuulas aortae ſemilunares, ob materiam arenoſam circa aortae principium collectam, valde tumidas reperit, quarum duae penitus coalitae, una vero libera quidem, ſed valde tumida fuit, ita ut parua tantum apertura, quartam partem naturalis magnitudinis aequans, relinqueretur. Praeterea orificium auriculare, ſolito anguſtius, annulum valuuloſum durum et valde tumidum, poſterioris ventriculi cauitatem paruam, anteriorem vero aeque ac ſinum venarum pulmonalium valde tenues et dilatatos reperit.

p. 52. In foemina, hydrope defuncta, annulum membranoſum, qui orificium, inter auriculam et ſiniſtri ventriculi caueam conſpiciendum, alias obducit, mutatum vidit. Rigidam nimirum, duram et carnoſam ſubſtantiam, muſculis ventriculi papillaribus immediate adhaerentem, ex orificio iſto in ventriculum tendentem, hincque orificium valde paruum animaduertit. Praeter hoc aortae diametrum ventriculiue ſiniſtri cauitatem, ſolitis minores, arteriae vero

pulmona-

pulmonalis diametrum maiorem, venarumque pulmonalium ſinum valde dilatatum, illarum contra diametrum ſolita minorem, tandem dextri ventriculi caueam, naturali maiorem deprehendit. Ex his ſequentia annotantur: Sanguis ob reſiſtentiam in ventriculo poſteriori repertam, ſinum, non autem venas pulmonales, dilatauit, quae vero, cum ſinus dilatatus adeo fuerit, extendi hinc non potuerunt. Eo enim dilatato, venae pulmonales nullam inueniunt reſiſtentiam, hinc igitur earum diameter minime extenditur. Ex eadem hac re et ratio reddi poteſt, cur venae pulmonales, ad arteriam comparatae, huc minores ſint, cum tamen reliquae corporis venae, ratione diametri, ſemper arterias comites ſuperarent. Quodſi nimirum fieri poſſet, ut dilatarentur, liberiori hinc aeris in pulmonem viae impedimentum naſceretur. Quare, ne hoc fiat, natura huic rei proſpexit, et reſiſtentiam venis hiſce nullam appoſuit. Eadem haec obſeruatio docet, cauitatem ventriculi anterioris, poſteriori maiorem in ſtatu naturali non eſſe. Sed hicce ſtatus non niſi in foetu, nondum nato, deprehenditur. Quam primum vero in lucem editus eſt, cauitas anterioris ſenſim maior fit, quia ſanguis, per pulmones tranſiens, ob impedimenta, v. g. clamorem, illico in venas pulmonales non euacuatur; qua propter arteria pulmonalis dilatatur, atque, cum et ibi ſanguis haereat, iſte ergo omnis ex ventriculo anteriori proiici nequit, inde dilatatus poſteriori tunc ſemper maior cernitur. Hoc autem facto, carneae illius fibrae tenuiores fiunt, cum contra, cauſſa iſta ceſſante, poſterioris fibrae craſſiores maneant. En itaque ex his conſectaria pathologica! Cum in caſu poſteriori orificium auriculare poſterius valde anguſtatum fuerit, paucus proinde ſanguis cauitatem ventriculi intrare potuit; hinc in ſinu accumulatus iſthunc dilatauit, quo facto venae pulmonales, nullam reſiſtentiam ibi inuenientes,

extendi non potuerunt; ergo ſanguis in arteria pulmonali accumulatus hanc dilatauit, idemque anteriori inſimul ventriculo reſiſtentiam peperit fecitque, ut et ibi accumulatus hunc ipſum dilataret, quo circa ob eandem accumulationem et anterior auricula et vena caua dilatatae fuerunt. Cum autem ſanguis ex vena caua debite tunc exire nequiuerit, in multis partibus non potuit non oriri ſtagnatio. Inde hydropis origo. Cumque' porro paucus duntaxat ſanguis ex ventriculo poſteriori in aortam venerit, debita humorum ſecretio facta non fuit, hinc nutritionis defectus et mors.

In caſu, hunc antecedente, anguſtatum pariter orificium arterioſum ventriculi poſterioris mutationem cordis protulit. Cum autem non ſolum orificium arterioſum, ſed et auriculare inſimul anguſtatum fuerit, ventriculus ſufficienter dilatari non potuit, hinc parua eius cauitas atque craſſities magna intelligitur.

p. 61. In alio pulmones, ſanguine plenos omnesque pariter cauitates cordis, ſanguine turgidas, reperit, excepta aorta, quam vacuam et praeter naturam coarctatam et valde craſſam deprehendit. Huius orificio valuulae ſemilunares tenues et relaxatae praepoſitae fuerunt, quo aperto, eae dilaceratae apparuerunt, atque margo cordis liber diſruptus. Subſtantia muſculoſa ventriculi poſterioris laxa, pallida valdeque tenuis fuit, eiusque cauitas anteriorem ſuperauit.

p. 62. In ſexagenario tandem robuſto, poſterioris ventriculi cauea amplitudinem anterioris fere ſuperauit, et valuulae ſemilunares breues et recuruae, margo autem liber inaequalis inque anteriori parte dextrorſum dilaceratus apparuit. Aorta de reliquo craſſa, interius inaequalis et ſcabra fuit, et tubercula exhibuit materie lapidea referta.

Ex

Ex utroque hoc casu, praeternaturalem aortae crassitiem, causſam, cur fluento ſanguinis reſiſteretur, dediſſe, colligitur. Sanguis ergo, non omnis ex ventriculo expulſus, hunc dilatauit, inde eius ſubſtantia tenuis atque cauitas magna dependit. Inſimul autem intelligitur ratio, cur et in ſtatu naturali anterioris ventriculi ſubſtantia muſculoſa debilior ſit. Cum enim ſanguis, ex hoc ventriculo exiens, maiorem reſiſtentiam in arteria pulmonali, quam ſanguis ventriculi poſterioris in aorta inueniat, illum itaque dilatari et debiliorem hinc fieri, ſequitur.

4) *Nouae obſeruationes, hiſtoriae de rubigine cerealium inſeruientes.* Auctore Cl. GLEDITSCH. Id mali genus, quod rubigo vocatur et in omnibus plantis, omni regione et quouis anni tempore obſeruatur, plantas iuniores ſpongioſas et ſucculentas magis, quam adultas et annoſiores infeſtat, atque in illis latius quoque, quam in his ſerpit. Quo tenerior autem planta, quoue pars eiusdem tenerior eſt, eo magis malum hocce locum obtinere poteſt; inde etiam fit, ut flores iſti malo prae reliquis maxime obnoxii ſint. Raro rubiginem in ſe fouent plantae ſylueſtres, crebrius contra cerealia omnesque pariter plantae, quae cultae dicuntur. Cauſſa, cur cerealia huic malo adeo obnoxia ſint, in feſtinatione meſſis, ut Noſter putat, quaerenda eſt. Antequam enim hordeum et triticum plenarie maturuerit, ea iam colliguntur, hinc humida in villas introducuntur, atque ita variis malis anſa ſuppeditatur. Inter plantas ſylueſtres, in quibus interdum, licet perraro, rubigo reperitur, non nulla gramina huc ſpectant, ut *arundo, typha paluſtris, carex, gramen anatum, panicum, lolio, lolium temulentum* etc. Dein etiam eae plantae, quarum flores ratione ſtructurae cum herbis conueniunt, ut *Polygonum, Perſicaria, Lapathum, Biſtorta* et *Fagopyrum.* Inter ſemina p. 66.

cerealia rubigini, ſeu necroſi florali, minus obnoxium eſt ſecale, ſaepius vero hordeum et triticum, nec raro auena et milium. Aſt in his omnibus notandum tamen, malum hoc, omnia, ſiue hyberna ſint ſiue aeſtiua, infeſtare atque eo tempore, quo caules et poſthac ſpicae emittuntur, ſe manifeſtare. Diu latet rubigo, antequam in conſpectum venit, licet diu iam culmos infecerit; ſed tum demum, quando vaginae, ſpicas cum floribus includentes, a ſe inuicem recedunt, ſe prodit. Principium corruptionis ſi quaeſiueris, iſtud in ſtaminibus et piſtillis reperies, a quibus quippe incipit et ſenſim ſenſimque latius ſerpens externas quoque afficit. Cum autem ſtamina et piſtilla interiores partes ſint; ſedes ergo corruptionis primaria in medulla granorum, fationi deſtinatorum, nec in ulla alia re quaerenda eſt. Puluis in quem corrupti flores abeunt, nigerrimus eſt, et non niſi fruſtula vaſorum minimorum ſiſtit. Cum autem in ſeminibus, mature collectis, corruptio inceperit, et nunc demum, quando culmum protrudere ſolent, ſe manifeſtauerit, iſtud malum tunc temporis nullam medelam admittit.

p. 89. Haecce corruptio, quae in floribus tantum incipit, et ideo *necroſis floralis* dicitur ab ea corruptione, quae fructificatione peracta in ſeminibus reperitur, et *Clauus*, germanice *Afterkorn* vocatur, probe diſtinguenda eſt. Huius enim corruptionis cauſſae aliae ſunt. Ita copioſa pluuia una cum magno calore eo tempore, quo culmus in optimo incremento eſt, et iam floret, obſeruata cauſſam dare poteſt. Vel alia cauſſa in inſecto paruo, quod A LINNAEO *Scarabaeus minimus ater florilegus* dicitur, quaerenda eſt. Hic enim partem floris mordet, quapropter ſuccus deficit, et pars corrumpitur. Alia denique cauſſa eſt, quando tempore efflorescentiae copioſa pluuia calicem et fructum tenellum ita replet, ut languor humo-

humorum, ex hoc obſtructio et demum mucor oriatur.

Quod ad cauſſam prioris corruptionis, necroſis floralis, ſpectat, haec, ut paucis iam dictum, a ſeminibus nondum plane maturis et cito collectis dependet. Cum autem ſemina nondum penitus matura lacteum quaſi ſuccum habeant, hic autem facillime mutari poſſit, ratio ergo in promtu eſt, cur ſemina immatura germinationis opus poſthac corruptum ſiſtant. Sique demum viſcidam illam ſeminum ſubſtantiam, ex aqua, terra ſubtili, acido, valde diluto, paucoque inflammabili inter ſe mixtis compoſitam eſſe, perpendamus, haec ergo, niſi maturitatis tempore in culmo adhuc perfecte miſceantur, facillime corrumpi, certum eſt. Accedit ad hoc, quod ſemina, quae nondum matura meſſuerunt, non ita diu aeri exponant et exſiccent, ſed quantocyus in horrea ducant, ibidemque compreſſa ſeruent. Quo facto corruptionis ſtatus, ob ſuperfluam humiditatem multo magis promouetur. Ex his, quae hactenus dicta ſunt, cerealium rubiginem deſtructionem omnium partium eſſentialium floris plenariam eſſe, inque proceſſibus iſtis medullaribus, intra cotyledones reperiundis, ortum habere, colligitur. p. 94.

5) *Commentarius, ſiſtens noua experimenta electrica, notatu digna.* Auctore Cl. AEPINO. Occaſionem, experimenta haec inſtituendi, Cl. Auctori ſuppeditauit lapis ſingularis, qui inter pretioſos lapides inſulae Ceylan refertur et *Trip* ſiue *Tourmalin*, Germanice *Aſchenzieher* vocatur. Iſte tranſparens eſt, colore fuſco ut Hyacinthus, ſed obſcuriori gaudet et per aliquot tantum annos cognitus vix a mineralogiae ſcriptoribus nominatur*, a ZINCKIO tamen et IVSTI breuiter commemoratus. Quodſi iſte lapis calefactus eſt, cineres tunc, calces metallicas et p. 105.

* HEBENSTREITIVS iam diu ante hos viros illum recenſuit in praefamine Muſei Richteriani. p. 37.

omnia corpora leuiora, paululum admota, attrahit; quo charactere ſe ab aliis lapidibus diſtinguit, et germanicum etiam nomen inde ortum eſſe videtur. Quod ad experimenta pertinet, ea non niſi lapidis iſtius attractionem et repulſionem, ab electricitate prouenientes, tradunt. En itaque ſingularia, quae decerpere inde potuimus! Lapis iſte absque frictione calefactus, non exiguam electricitatem prodit; quod autem notatu dignum, quia unicum, electricitatem in corporibus excitandi, medium frictio alias habetur, excepto ſulphure, reſina et cera hiſpanica ſimilibusque fuſis, quippe quae, dum frigeſcunt, electrica fiunt, absque eo ut frictio adhibeatur. Omnes vero ſpecies vitri, quorſum et lapides referas, electricitatem poſſidentes, non niſi frictione eam manifeſtant. Cum itaque iſte lapis adhanc claſſem pertineat, et electricitatem absque frictione prodat, iſte ergo unicus in hac claſſe eſt, ideoque notatu dignus. Differentia corporum, quae in electricitate obſeruatur, duplex eſt, altera, quae attrahit, altera vero, quae repellit. Regulae autem generales, quae per experientiam hactenus ſtabilitae de electricitate corporum traduntur, ſequentes ſunt: Quando duo corpora eandem electricitatem eodem gradu poſſident, ea ſibi inuicem admota, ſe repellunt. Altera regula eſt: Quando duo corpora electricitatem diuerſam poſſident, unum igitur alterum attrahit. Prior electricitas dicitur poſitiua, et in vitro, pannis laneis fricto, deprehenditur. Poſterior vocatur negatiua, et in cera hiſpanica aut ſulphure frictis animaduertitur. At vero, in lapide hoc non alterutra ſed ambae proprietates ſimul adſunt. Ergo ſingulares electricitatis leges in lapide iſto reperiuntur, quas ſequentes habebis: 1) *Lapis hic omni tempore et poſitiuam et negatiuam electricitatem oſtendit, ita, ut ſi unum latus poſitiuam prodat, alterum negatiuam exhibeat, et vice verſa.* 2) *Lapis iſte per aliquot*

quot minuta in aqua ebulliente detentus, fit electricus, ita, ut unum latus positiue, alterum negatiue electricum reperiatur. Hic notetur, in vase metallico fortiter calefactum exiguam electricitatem prodere, sensim tamen magis electricum fieri, si paululum refrigescat; electricitatem vero, quam in aqua ebulliente acquirit, etiamnum in refrigerato durare. 3) *Lapidis istius latus, quod electricitatem positiuam naturaliter habet eo disponi potest, ut negatiuam acquirat, et vice versa. Postea autem lapis iste sponte eo redit, quo antea fuit, ita nimirum, ut, quae positiua est electricitas, negatiua autem facta fuit, iterum positiua fiat* etc. 4) *Si lapis iste metallo calefacto aut laminae vitreae aut carboni ardenti imponitur, latus tunc, quod incumbit, semper electricitatem oppositam acquirit, ita, ut, quod antea positiuum fuit, nunc negatiuum fiat etc. Sin vero intra duas laminas calefactas ponitur, in statu naturali manet.* Hic, experimenta docent, quod, si unum latus altero calidius sit, semper status oppositus deprehendatur; sin vero utrumque latus aequaliter calefactum sit, semper status naturalis animaduertatur. 5) *Lapis iste* etiam, *dum fricatur, electricus fit,* ita tamen, ut pro ratione modi frictionis et pro ratione corporis, cui affricatur, varie mutetur. Haec experimenta iterum docent, lapidem hunc duplici electricitate praeditum esse, altera, quae omnibus lapidibus pretiosis et vitro communis est, altera, quae ipsi propria. Haec singularis non nisi diuerso caloris gradu opus habet, si manifesta reddi debet. Quando nimirum utrumque latus aequaliter calefactum est, tunc alterum positiuam, alterum negatiuam ostendit. Quando vero latera inaequalem calorem concipiunt, tunc latus, quod positiuam naturaliter habet, negatiuam nunc ostendit etc. Sub finem tandem animaduersiones quaedam de caussa concussionis electricae, quam in singulari natura vitri quaerunt, subnectuntur.

p. 122. 6) *Experimenta chemica ad ſtannum ſpectantia*, Auctore Cl. MARGGRAF. Quae de praeſentia arſenici in ſtanno tertio huius Hiſtoriae Tomo inſeruit experimenta, ea ulterius continuata nunc communicat, quorum ſummam hic vides: 1) Stanni puriſſimi ſubtiliter limati uncias duas retortae terreae indidit, et recipiente adaptato iunĉturisque optime clauſis igni per gradus auĉto et ad ſummum uſque eueĉto per tres horas continuauit. Vaſis refrigeratis, in collo retortae ſublimatum album arſenicale, inque fundo vaſis ſtannum grate ſplendeſcens in unum corpus fuſum a latere maſſa vitreſcente, coloris hyacinthini, pro particulis ferri, in ſtanno latentis, reſolutis habita cinĉtam reperit. 2) Idem experimentum inſtituit, ſed loco retortae duo crucibula Haſſiaca, unum alteri impoſitum, ſumſit et iunĉturas luto firmauit. Hi eadem, quae in praecedenti, obſeruauit, excepto eo, quod nullum ſublimatum deprehenderit. 3) Stanni pondus cum aequali carbonum puluerisatorum mixtum retortae terreae commiſſum et vehementi igne per tres horas expoſitum, fuſum non fuit, nec etiam ſublimatum exhibuit. 4) Vnciam unam ſtanni ſubtiliter limati crucibulo Haſſiaco indidit, quem lamina cuprea polita obtexit, et alium impoſuit. Iunĉturis optime clauſis cuncta forti igni per horam unam ſemis expoſuit, vaſisque refrigeratis cuprum non mutatum, ſtannum vero pellicula alba, friabili, floribus zinci per omnia ſimili reperit. 5) Splendorem, quem ſtanno fraĉto ineſſe deprehendunt, ab arſenico et particulis martialibus, fuſione inter ſe mixtis, prouenire, experimento confirmatus Cl. Auctor aſſerit. Haec experimenta cum ſtanno ulterius ſuſcepta, etiamnum communicare promittit.

p. 127. 7) *Diſſertatio de floribus Aſteris montani* ſiue *Pyrenaici praecocis, floribus coeruleis et foliis ſalicis ſchiſto impreſ-*

impreſſis. Auctore Cl. LEHMANN. Reperit nimirum in Comitatu Hohenſtein et quidem in regione Nordhuſiana inter effoſſos lithanthraces fruſta ſchiſtorum, variis florum figuris donatorum, ita, ut in non nullis tota Aſteris figura expreſſa fuerit. His igitur donatus in cauſſam nunc inquirit, unde factum, ut iſti flores tam profunde terrae gremium intrarent. Omnia itaque regionis iſtius ſtrata diſquirens, illud ſtratum, quod ſchiſtum nigrum continuit, dictosque flores impreſſos habuit, admode profunde locatum reperit. Schiſtum dein hunc chemico examini exponens indolis argillaceae, aliquam partem cupri continens, et prunis ardentibus impoſitum arſenici odorem de ſe ſparſiſſe, deprehendit. Ex his omnibus autem, quae ibi recenſet, flores iſtos facta quadam terrae mutatione in profundum terrae gremium perueniſſe, mutationem autem ab inundatione et ſubſequente terrae ſubſidentia ortam eſſe, coniicit. Diuerſis enim his terrae ſtratis accurate examinatis et perpenſis, id non a mundi creatione ſed diu poſt eam et facta quadam mutatione, deducendum eſſe, aſſerit.

8) *Examen chemicum ſalis, quem verum ſalem alcalinum fixum Rhinocerotis nominare placuit.* Auctore Cl. MARGGRAF. Salem hunc, quem non nemo alcalini fixi nomine donauit, ex urina dicti animalis productum eſſe, affirmarunt. Rogatus itaque Noſter experimenta cum eo inſtituit, et ſalem iſtum nec alcalinum fixum nec volatilem, ſed ex acido vitrioli-co cum ferro et terra aluminoſa mixto compoſitum fuiſſe, reperit. Ex his autem, ut facile quiſquam iudicare poterit, Noſter etiam dictum ſalem minime ex urina animalis iſtius obtineri unquam poſſe, colligit. p. 145.

9) *Deſcriptio*

P. 149. 9) *Deſcriptio quadrupedis americani, ad genus urſorum a Cl.* LINNAEO *relati.* Auctore Cl. ROLOFF. Magnitudine iſtud animal, quod a Braſilienſibus Coati dicitur, felem grandiorem aequat, longitudo vero, ab ore ad caudam uſque tres pedes et ultra conſtituit, ipſa autem cauda pedem unum cum pollice longa eſt. Corpus eius pilis craſſis ſatque longis, colore partim nigro, partim brunno et flauo praeditis tegitur. Caput triangularem figuram habet, ita, ut ſuperior eius pars inferiori acuminata, roſtrum conſtituente, multo latior ſit. Labium ſuperius longitudine inferius ſuperat, aures vero verſus baſin latiores in apicem acutum abeunt. Oculi, ad corporis magnitudinem non proportionati, parui, itidemque pedes parui, anteriores graciles et debiles, poſteriores vero multo latiores fortioresque ſunt. Quilibet pes in extremitate quinque digitos, ungue inſtructos, habet. Animal, quod ob oculos Cl. Auctoris fuit libras ſedecim cum dimidia ponderauit, corpore autem huius aperto omentum ab aliorum omento diuerſum, et hepar in ſex lobos diuiſum reperit. Inteſtina tenuia ultra ſex ulnas, craſſa vero unam cum dimidia longa fuerunt. Praeterea nulla inter craſſa et tenuia adfuit valuula, coecum et proceſſus vermiformis plane abfuit, atque tenuia a pyloro uſque ad finem unicum canalem absque ulla differentia conſtituerunt, quod etiam in craſſis Noſter obſeruauit. In qualibet maxilla dentes viginti, duodecim nimirum molares, inciſiuos ſex et caninos duos animaduertit, atque vertebras colli ſex, dorſi quatuordecim, lumborum ſex, coccygis vero ſeptendecim oſſa parua numerauit. In quolibet tandem thoracis latere coſtas veras decem, ſpurias autem quatuor reperit. Locus dicti animalis natalis tam meridionales quam ſeptentrionales Americae regiones ſunt, et fructibus et carne, in primis piſcibus veſcitur. Quod ad genus attinet, ad quod animal hocce referunt, Noſter cum

LINNAEO,

LINNAEO, qui urſorum generi iſtud annumerat, minime conſentit, cum multum quoad caput, pedes, caudam et totum fere corpus ab urſis differat: Verum iis potius ſuffragatur, qui inter vulpes idem hoc- ce referunt. Qui accuratiorem huius animalis deſcriptionem deſiderant, hos ad ipſum librum ablegamus, ubi iconibus etiam expreſſum animal animaduertere licet.

XIII.

Obſervations on the internal uſe of the Solanum or Nightſhade, by THOMAS GATAKER, Surgeon to Weſtminſter Hoſpital. The fourth Edition, to which is added a Supplement, printed for R. and I. Dodsley. 1757. 8. pag. 92.

h. e.

Obſeruationes, quae internum uſum Solani exponunt, auctae et quartum editae a Th. GATAKERO, cet.

Hoc libello Cl. GATAKERVS ciues ſuos non ſolum vim ſalutarem Solani docere, ſed etiam ab imprudenti eius uſu auocare vult. Legimus poſt p. 1. breuem introductionem, quae hoc auctoris conſilium generatim declarat, hiſtoriam experimentorum, p. 6. cum Solano in corpore humano inſtitutorum, olim quidem ſocietati regiae Londinenſi praelectam, nunc autem auctam et diligentius ſcriptam; eamque additamentum excipit, quod merito curas poſteriores, quibus antecedentia tum rectius explanantur, tum magis confirmantur, dixeris. Scriptioni occaſionem dedit narratio de cancro, Solani lethalis infuſo ſanato, quae libro *Bibliotheque des beaux Arts et des Sciences* dicto inſerta eſt; uti etiam hac permotus auctor virtutem huius remedii indagare coepit.

Initio

p. 7. Initio tantum ipſi licuit vim ſolani hortenſis experiri et huius infuſo aduerſus impura ulcera, pertinaces dolores, in ſingularibus corporis partibus ſcorbuticas eroſiones, aliosque ſatis obuios nec peculiari malignitate ſtipatos morbos, ſi duos ad carcinomatis indolem accedentes exceperis, non infeliciter pugnauit. p. 8. Quo ſaepius autem et cautius hanc medicinam adhibuit, eo clarius cognouit, interdum unam unciam aquae coquentis uno grano foliorum huius plantae infuſam, decantatam et veſpertino tempore datam magnam vim exſerere; duo vero vel tria grana ſaepiſſime vomitum, ſudorem aut lenes alui deiectiones ciere aut largiorem urinae copiam prouocare. Non nunquam ex uſu eius oriebatur capitis dolor, vertigo et ex hac oculorum hebetudo; quae tamen ſymptomata non ſemper imminebant et, una alteraue doſi repetita, euaneſcebant aut mitiora fiebant; nec raro etiam ſomnolentia primum uſum eius comitabatur. Plerumque vero deglutito hoc infuſo calebat totum corpus, ac poſt paucas horas multo ſudore perfundebatur, quem proximo die lene alui profluuium ſequebatur. Si autem nullus ſudor proueniebat, inſolita urinae copia excernebatur, ſaepe etiam aluus ſoluebatur, ſemper vero una harum excretionum augebatur. p. 9. Haec clarius euincit auctor, dum octo peculiares caſus enumerat, quibus Solanum oppoſuit, quos autem repetere tum nimis longum tum minus neceſſarium foret. p. 24. Poſtea iubet in non nullis caſibus aegrotis initio ſaltim dimidiatum granum huius medicinae exhibere, hanc vero doſin aut ſaepius dare aut augere, prout id eius vis, qua in corpus aegrotantium agit, huius robur, morbiſque natura requirat.

p. 25. Sequitur breuis narratio de tribus Solani ſpecibus earumque uſu, quam auctor STILLINGFLEETO, amico ſuo, acceptam fert. In Anglia triplex reperitur Solanum, nempe Solanum vulgare aut hortenſe,

Solanum

Solanum ſcandens ſeu Dulcamara, et Solanum lethale ſiue Bella Donna. Solanum vulgare variis olim morbis fuit oppoſitum. Non nulli tamen ſcriptores internum eius uſum damnant, quanquam CAESALPINVS pro eo exempla attulit. Solanum ſcandens nec THEOPHRASTVS, nec DIOSCORIDES deſcripſit. Recentioribus vero temporibus ſaepe eius, ceu externi et interni medicamenti mentio fuit facta. Solanum lethale inter venena relatum, ab WILLVGBEIO, TRAGO ac RAIO autem propter varias virtutes laudatum fuit. Etſi autem Cl. GATAKER ſa- p. 30.
tetur hanc narrationem de varia Solano tributa virtute teſtari, tamen nec accuratam eius deſcriptionem nec utilem medicis putat, dicitque ſe etiam magnopere mirari, Cl. LAMBERGEN * auctorem hiſtoriae, ex commemorata Bibliotheca allegatae, poſt octo annos nullum nouum experimentum protuliſſe, quo vis Solani lethalis aduerſus cancrum indubia redderetur, indeque colligi poſſe arbitratur, eum aut hac medicina in ſimili morbo non uſum amplius faiſſe, etſi hoc et exiſtimationi eius et felicitati multorum hominum repugnare videantur, aut repetita tentamina eius ſpem fruſtraſſe. Tantum igitur abeſt ut Auctor Noſter infuſo Solani obfirmatum cancrum ſanandi virtutem tribuat, ut potius ſaltim concedat, illud in morbis, ab eo non valde abludentibus, magnam utilitatem praeſtare poſſe. Ceterum exiſtimat Solanum hortenſe lenius, quam Solanum lethale operari.

In additamento de Solani virtute copioſius diſſerit, et eius uſum in morbis, qui eo aut non leuantur, aut grauioribus augentur ſymptomatibus, reiicit. Primum igitur ea refert, quae in duodecim p. 49.
aegrotis poſt uſum huius medicamenti obſeruata fuerunt, ac deinde concludit: illud magna vi naturales p. 72.
excretiones augendi pollere, peculiari autem aduerſus

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 261.

ſus carcinomata virtute, ut paullo ante iam monuerat, non gaudere; illud tantum in eiusmodi morbis per aliquot tempus leuamen adferre, ſed malum exſtirpare non poſſe, et eius imprudenti uſu ſymptomata exacerbari.

p. 73. Sequuntur poſtea regulae, quae ad uſum huius plantae in eiusmodi caſibus, ubi bonus euentus ſperari poteſt, pertinent; quarum ſumma huc redit: Solanum hortenſe praeferatur lethali, quia hoc grauiora ſymptomata parit; ante uſum eius vena ſecanda, aluus ducenda et vomitus excitandus eſt; unum granum ſemper ſit prima doſis; haec medicina ſemper veſpera in lecto detur, nec ante ſecundum aut tertium diem repetatur; ſi ea aluus non ducitur, aliud medicamentum, quod huic ſcopo reſpondet, aut cum Solano aut poſt illud propinetur, quia alui laxitas nunquam negligenda eſt; nec ſalus ab hac planta expectari debet, niſi perſpirationem, urinam aut aluum moueat; et ſi 5 aut 6 grana eius commemoratas excretiones non excitant, eius uſus omittendus eſt; quem ad modum id etiam fieri debet, quando poſt ſecundam doſin ſymptomata exacerbantur.

p. 76. Reliqua libelli pars oppoſita eſt iis argumentis, quibus uſus Solani oppugnatur, quaeque partim eos feriunt, qui exacerbatis ſymptomatibus ab eo non deſiſtunt, partim vero Solanum lethale in ſuſpicionem adducere poſſent. Quod enim ad Solanum hortenſe attinet, auctor exemplum feminae hemiplegia laborantis adfert, quae eius uſu facultatem ambulandi recuperauit.

p. 82. Denique putat auctor Solanum aduerſus hydropem feliciter adhiberi poſſe, quia uinae profluuium et perſpirationem valde augeat,

p. 83. que duobus exemplis probare ſtudet.

XIV.

Noua physico-medica.

Monachii, quae urbs caput est *Bauariae*, Scientiarum Academiam, Electoralem Bauaricam dicendam, fundatam esse nuperrime, legimus atque de illarum inde expectando laetamur incremento. Leges nimirum, huic nouae societati praescriptas, nuper ineunte huius anni vere Monachii euulgatas tales deprehendimus, quae scientiarum artiumque augmenta non in Bauaricis solum prouinciis, sed in genere et uniuerse queant promittere. Illarum quidem omnium amplum recensum habere, iam haud esse nostrum existimamus: interim tamen, quod nostri attinet instituti rationem, debemus ex illis commemorare: duo nimirum generatim sumta scientiarum esse genera, in quae inuestiganda inquirere debeant socii, unum, quod *historicam classem* dictam respicit, in qua veteris potissimum historiae, artis criticae, diplomaticae, chronologicae, geographicae, genealogicae, e. s. p. monumenta eruantur et explicentur; alterum, quod *philosophicam classem* dictam complectitur, ad quam uniuersae non solum philosophiae, a controuersiis scholasticis repurgatae, partes referri debeant, sed in qua etiam historia atque scientia naturalis, in primis, quae patrias attineant prouincias, et omnium artium in genere et metallorum praecipue fodinarum reique oeconomicae studium, cultura atque augmentum possit amplificari. Itaque tentamina omnis generis physica, reipublicae utilia futura, socios facere iubet Academia, uti etiam res naturales, in patria vicinisque prouinciis obuias, conquirere, inuestigare, colligere nihilque intentatum relinquere, quod, quocunque demum modo, aliquam afferre possit utilitatem. Rariores quoque obseruationes anatomicae, morbi tum inter homines cum pecora epidemici, natorum

et mortuorum catalogi ſingulis annis inſerentur commentariis Academiae, quos ea ipſa quidem germanica lingua exaratos, vel ſi latine ſcripti ſocietati traditi fuerint, in eandem translatos ſuo tempore publici uſus facere non intermittet. Binos quoque ſingulis annis ſolemniores celebrabit conuentus, unum menſe martio, in memoriam diei natalis, Sereniſſimo Electori ex merito feſti, alterum octobri, in quo ultimo binas quaeſtiones duplici praemio praefitas exhibebit atque coronabit, quippe quae ſingulae vicetum ex hiſtorica, tum philoſophica, claſſe deſumentur.

Pariſiis nuper obiit clariſſimus medicus, LAVIROTTE, Medicinae Doctor *Regens* dictus, qui apud exercitus gallicos, in Germanicas prouincias ſub initium huius belli ductos, caſtrenſis medici munere functus fuerat. Non nullis diſſertationibus medicis aliisque in conſcribendo eruditorum diario gallico (*Iournal des Scavans*) ſimul adhibitis laboribus inter viros doctos locum meruit, plura ſine dubio praeſtiturus, niſi praematura morte, a febre catarrhali maligna effecta, in iuuenili adhuc aetate fuiſſet extinctus; id, quod factum eſſe nuper media nocte inter ſecundum tertiumque diem menſis martii legimus.

Baſileae porro die viceſimo ſeptimo iulii diem ſuum obiit ſupremum Illuſtris Regiae Scientiarum Berolinenſis Academiae Praeſes, PETRVS LVDOVICVS MOREAV DE MAVPERTVIS aetatis annum agens ſexageſimum tertium. *Maclouii*, quae urbs in Britannia minore ſeu cismarina dicta, anno ſuperioris ſeculi nonageſimo ſeptimo natus, huius ſeculi triceſimo quinto Regiae Scientiarum Academiae Pariſienſis Subdirector ab ipſo Rege nominatus et conſtitutus, quadrageſimo tertio autem in illorum

quadra-

quadraginta Sociorum Academiae Gallicae (*Françoiſe*) numerum receptus quidem fuerat: duobus vero annis elapſis, ſecedebat Berolinum, adſentiente ſuo Rege, et Academiae ibidem florenti a Boruſſorum Rege praeficiebatur. Ab Imperiali porro Scientiarum Petropolitana Regiaque Scientiarum Societate Londinenſi adſciſcebatur ſocius. Quum tenui autem uteretur valetudine, viribus per dura admodum itinera fractis, ut ſe ab imbecillitate reficeret, Baſileam ante aliquod tempus ſeſe conferebat, lenta autem febre ibidem conſumtus. Literario illo itinere, quod Gallorum Regis iuſſu, comitantibus ipſum et adiuuantibus ſummis viris, per annos ſeculi triceſimum ſextum et ſeptimum, in extremas boreales prouincias ſuſceperat, * ut meridiani gradum ibidem dimetiendo, figuram telluris determinaret; aliis viris mathematum ſtudioſis eundem in finem in zonam torridam abeuntibus; matheſeos inſuper uniuerſae et ſublimioris potiſſimum geometriae cognitione et uſu inclaruit, magnum inde nomen conſecutus. De hiſtoria quoque et ſcientia naturali mereri voluit; cuius autem rationis fuerint ſententiae, quas de hoc ſcientiarum genere aluit, vel ex iſto ſpecimine lectoribus apparuiſſe opinamur, cuius recenſum olim in noſtris commentariis habuimus. ** Corpus ipſius *Dornaci* duo milliaria tantum ab urbe BASILEA diſtantis, in

* Optima itineris eius deſcriptio legitur in libello Amſtelodami 1738 edito, cui titulus eſt: La Figure de la Terre, determinée par les obſervations de Meſſieurs DE MAVPERTVIS, CLAIRAVT, CAMVS, LE MONNIER, de l'Académie Royale des Sciences, et de M. l'Abbé OVTHIER, Correſpondant de la même Académie, accompagnés de M. CELSIVS, Profeſſeur d'Aſtronomie à Vpſal: faites par l'ordre du Roi au Cercle Polaire. par M. DE MAVPERTVIS. 8.

** vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 286 ſeqq.

coenobio, cuius monachi a veſtitu dici ſolent cucullati, humatum eſſe, legimus.

Argentoratenſis Academia ſub initium veris huius, quem agimus, anni 1759 duplicem paſſa fuit iacturam: unam morte IOANNIS BOECLERI Philoſ. et Med. D. Botanic. Chem. atque Mater. med. P. P. O. Capituli Thomani Canonici, qui die undeuigeſimo menſis maii viuere deſiit, quum iam ante aliquod tempus ſenectute grauis, laborum academicorum veniam accepiſſet; animaduerſionibus potiſſimum in HERMANNI *Cynoſuram materiae medicae*, eaque ipſa deinde duobus voluminibus continuata, inter viros doctos clarus factus: alteram vero obitu Viri Cl. PHILIPPI HENRICI BOECLERI, Phil. et Med. D. Anatom. et Chirurg. P. P. Ord. Acadd. Naturae Curioſ. et Scient. Monſpelienſis et Moguntinae Socii, cuius nuper *, quum hanc academicam ſuſcepiſſet prouinciam, mentionem fecimus.

Qui artem medicam cum laude atque applauſu docet *Göttingae*, Cl. IO. GEORG. ROEDERER, Med. D. eiusdemque et Anatomes Prof. P. Ord. a Ser. Magnae Britaniae Rege in meritorum praemium Archiatri titulo atque honoribus nuper die decimo ſeptimo menſis iulii exornatus eſt.

Memoria LAVRENTII HEISTERI Medicinae Doct. Sereniſſ. Ducis Brunſv. et Luneburg. Conſil. Aulic. et Archiatr. Medic. Practic. Chirurg. et Botanic. Prof. Publ. Ordinar. Ordinis ſui et totius Academ. Senior. Societatum Caeſareae Natur. Curioſor. Regiarum Londin. et Berolin. Scientiar. et Botanicae Florentin. Sodalis.

Scientia-

* Comment. noſtr. Vol. V. P. IV. p. 724.

Scientiarum, in primis quae efformant ornantque medicum, valde quidem arctum atque amicum esse constat vinculum, adeo, ut una ab altera separari posse videatur vix umquam: Interim tamen una prae altera aliquam habet vim atque eminentiam, quo nimirum eius propior atque grauior est in humanam salutem amplificandam efficacia. Huius generis ex medicis doctrinis sunt potissimum anatome, et, quae ei quam maxime innititur, chirurgia. Sine accurata prioris cognitione verum medicum dari non posse vix non omnes consentiunt: aeque tamen certum est, efficaciorem, quae dicitur, artis medicae partem, quippe quae manu medetur externis tantum morbis, alteri doctrinae, quae internos tollere docet morbos, plurimum afferre lucis atque incrementi, saepiusque omnino pluris, ac alii permulti crediderint. Medici itaque, quem imitentur posteri, insignem expressit imaginem b. HEISTERVS, qui omnes quidem artis nostrae partes eximio studio didicit coluitque, anatomen tamen atque chirurgiam prae reliquis omnibus singulari feruore inuestigauit atque in aliorum conuertit emolumentum, ita, ut illum inter principes huius aeui anatomicos atque chirurgos ex merito referendum esse, negare vix quisquam possit. Quis, quaesumus, est, quem, praeter alios ab ipso editos libros, in primis eius lateat compendium anatomicum, permultis obseruationibus nouis refertum, eoque tempore, quum prima vice prodiret, absolutissimum, ideoque omnibus tam gratum, ut in multas non solum transferretur linguas exoticas, sed in plurimis quoque Europae academiis proponeretur tironibus, quod ipsis explicandum esse iudicabatur prae reliquis omnibus. Institutiones porro chirurgicae ab ipso editae, peritiae ipsius atque experientiae in hac arte summum exhibent documentum, quippe quae non omnia solum ab aliis auctoribus tradita, in epitomen quasi redacta,

ſed varia quoque ab ipſo inuenta vel emendata continent; quibus tamen omnibus iam data opera recenſendis eo magis ſuperſedere poſſumus, quo minus ea medicis doctis incognita eſſe ſuſpicamur, et quo ea quoque fuſius cum ipſa beati viri vitae deſcriptione iam ab aliis pluribus expoſita fuere, ex quibus in praeſenti nominare modo liceat CHRISTIANVM POLYCARPVM LEPORINVM M. D. HEISTERI vitam meritaque ſingulari libello, germanice conſcripto et anno 1725 Quedlinburgi euulgato, exponentem; IOANNEM ANDREAM SCHMIDIVM, Chemiae Profeſſorem Helmſtadienſem, in oratione *de Germanorum in anatomiam meritis* anno 1723 prodeunte, FRIDERICVM BOERNERVM *in relationum de vitis medicorum et phyſicorum* tomo primo, tandemque *memoriam* beati viri, auctoritate Senatus academici Helmſtadienſis ab IOANNE CHRISTIANO WERNSDORFIO V. Cl. perſcriptam, ex qua etiam praecipua ad ipſius vitam pertinentia iam delibare atque breuibus repetere liceat, quo minus noſtro deeſſe videamur officio.

Natus erat Noſter Francofurti ad Moenum anno ſuperioris ſeculi octogeſimo tertio, die ſeptembris undeuigeſimo, patre uſus IOANNE HENRICO, ciue Francofurtano, qui vina vendens hoſpitioque peregrinatores excipiens quaeſtum ibidem honeſto modo quaerebat; matre MARIA, ex gente *Altenſia*, GISBERTI LAVRENTII, mercatoris filia. Parentes ingenium alacre, ſcientiis addiſcendis aptum, in filiolo intelligentes, eum ab ineunte aetate ſtudioſe erudiendum curabant, quumque nonum aetatis annum nondum expleuiſſet, in patrium ducebant gymnaſium, optimis praeceptoribus, ARNOLDO, SCHVDTIO et KLVMPFIO in primis, tradentes ſummae ſpei puerum, quorum quoque dextra fidelique inſtitutione per integrum decennium tanto cum fructu proficiebat, ut litteris non ſolum, quae ab humani-

humanitate dicuntur, arti potiſſimum poeticae, muſicae, ſcite delineandi pingendique ſed et linguis, tum romanae, tum, quae hodie vigent, gallicae et italicae felicem nauaret operam, quin et tempus a publicis auditionibus et a priuatis ſtudiis vacuum, ab aliis iisque ſolutioribus peſſime ſaepius tritum, recreationis gratia conſumeret, ita, ut ipſe ſibi libros concinnaret atque compingeret, quam artem obſeruando tantum ſpectandoque, nullo alio duce, didicerat, id, quod iam tum de ingenii eius vi ſollertique animo teſtabatur.

Altioribus deinde excolendis ſtudiis par nunc factus Gieſſam ſe conferebat anno huius ſeculi ſecundo, ut in academia ibidem florente artem medicam et, quae ad eam referuntur, ſcientias caperet atque proſequeretur. Totum ſe tradebat diſciplinae GEORGII CHRISTOPHORI MOELLERI, viri propter eruditionis amplitudinem et medicinam explanate docendi facultatem famamque clariſſimi. Vno tamen anno vix elapſo, MOELLERVS euocabatur Wezlariam, ut iudicibus collegii Caeſarei, in hac urbe ſtabiliti, a medicis eſſet conſiliis. Praeceptoris autem ſolida iucundaque oblectatus inſtitutione Noſter ſequebatur ipſum Wezlariam, eiusque ſcholis atque menſae per quatuor annos intererat: ipſum quoque comitabatur, ad vicinas thermas ſaepius abeuntem, earumque naturam, vires atque rectum uſum obſeruabat; aſſidebat cum eo decumbentibus, morborum decurſum optimamque iis medendi viam perſpiciens. Gieſſam haud procul ſitam toties repetebat, quoties publicas cadauerum ſectiones a Cl. BARTHOLDO, Gieſſenſi Profeſſore anatomico, inſtitui audiuiſſet. Chemiam quoque, praeſertim, quae medicamentorum recte praeparandorum docet modum, intelligendi colendique commoda fruebatur opportunitate, quum viri in arte peritiſſimi uteretur hoſpitio. Singulari porro rei herbariae iucunditate captus, hortos,

prata, agros, ſiluas atque colles perluſtrabat atque pererrabat plantasque colligebat undiquaque, ex quibus exſiccatis herbarium, quod dicitur viuum, inſtrueret. Tam ſollers quoque hac in re eius erat ſtudium, ut iam tum, ante, quam in peregrinas abiret prouincias, plus quam duo millia plantarum collegiſſet.

Sacris nunc Aſclepiadeis initiatus Noſter, cognitionis rerum medicarum, anatomes, chirurgiae atque botanices potiſſimum, quo demum cunque modo poſſet, augendae flagrabat deſiderio. Quem in finem anno huius ſeculi ſexto in Belgium abibat, praeceptoris ſuaſu Lugduni Batauorum commoraturus. Conſilium tamen cito mutabat, ideoque ſecedens Amſtelodamum, COMMELINI et RVYSCHII ſtatim intererat lectionibus botanicis per aeſtatem in horto eius urbis medico inſtructiſſimo habitis, praecipue autem RVYSCHII demonſtrationibus anatomicis tam publicis, quam priuatis, in quibus ille poſterioribus famoſi ſui theſauri anatomici, ab Imperatore Ruſſorum PETRO I. magno pecuniae pretio poſtea emti, uberiorem agebat recenſum. Interim fiebat, ut alii iuuenes, anatomici atque chirurgici exercitii aeque cupidi ſe adiungerent HEISTERO, virumque inter chirurgos, lithotomos in primis, valde celebrem I. I. RAVIVM adirent, quo non ſolum uniuerſam rem anatomicam ipſis traderet, in cadueribus recentibus demonſtrandam; ſed ipſis quoque copiam faceret cadauerum, in quibus anatomicam ſuam ſcientiam exercere et augere poſſent ipſi. Quamuis autem ſub conditione ſoluendi ſatis ingentis nummorum pretii, ut nimirum centum argenteos unciales auditorum quisque ſolueret, hoc pactum iniret RAVIVS, a promiſſis tamen non ſtabat, quin potius moleſtiſſima morum aſperitate a ſe alienabat auditores, qui alteram collegii partem audire recuſantes, in RVYSCHII tranſibant ſcholas, humaniſſime

niſſime ab eo excepti, qui ſub iisdem conditionibus, a ſordido RAVIO nihili habitis, non ſolum, quam cupiebant, anatomes partem, ſplanchnologiam puta, illos docebat fideliſſime, ſed numeroſa quoque ex publico valetudinario ſuppeditabat cadauera, in quorum diſſectionibus induſtriam diſcendique ſtudium comprobare poſſent. Ambabus quoque, uti aiunt, manibus HEISTERVS hancce arripiebat occaſionem et incredibili feruore per integram hiemem ad finem uſque menſis maii ſingulos integrosque dies cadauera incidebat omnis aetatis atque ſexus: ipſemet perluſtrabat, quae ab aliis iam viderat demonſtrata: examinabat, num ea ipſi recte eſſent tradita; ubi alii commiſiſſent errores, annotabat: omniaque, quae detegere poſſet, in tabularum formam coniiciebat, quae itaque primum compendii ſui anatomici praebuere fundamentum. Interim conquirebat cadauera non in eum modo finem, ut anatomen coleret, ſed etiam ut operationes ſic dictas chirurgicas ſuſcipiendi riteque perficiendi nanciſceretur facultatem. Quam ob cauſſam reliquorum Amſtelodamenſium chirurgorum fama meritisque celebrium quaerebat conſuetudinem eorumque ſibi conciliabat amicitiam, in primis PETRI ADRIANSONI, VERDVYNI, eiusque generi BORDELI, VALLANTII, CONERDINGII, ut ipſis intereſſet, quoties operoſas grauesque perficerent curationes, quas ipſemet deinde repetebat in cadaueribus, ut promtior manu fieret agiliorque, olimque eo tutius easdem, ſi neceſſe eſſet, in aegrotis praeſtare poſſet.

Quid autem omnis iuuat labor omneque ſtudium, niſi accedat uſus et exercitatio? Huius vero ampliſſimum campum in caſtris militum dari recte Noſter iudicans, medio anno huius ſeculi ſeptimo, exercitum foederatorum, qui dicebantur, in Brabantia tunc temporis bella gerentium, petebat inque itinere Louanii ſalutabat VERHEYENVM, a praeceptore

ceptore RVYSCHIO commendatus, quocum sermones miscens, varios ab ipso in compendio anatomico commissos errores modeste ipsi indicabat, quos etiam candide ab eodem agnitos et penuria librorum angustaque rerum domesticarum ratione excusatos et ex parte deinde emendatos esse, Noster laudauit ipse. Bruxellis et Britanni et Bataui valetudinaria habebant refertissima, quae frequentabat HEISTERVS optimo cum fructu. Medicorum enim et chirurgorum castrensium, AMIANDI potissimum Angli et CREPINI Bataui, consuetudine utendi fruebatur opportunitate, quibus ducibus ipse nunc pericula faciebat in vulneratis aegris, obseruans simul, quo modo internis morbis obuiam irent medici; reliquum autem tempus addiscendae linguae anglicae dabat operam eoque maiorem, quo frequentior ipsi cum Anglis erat Bruxellis conuersatio.

Sub aestatis finem reditum meditans in Hollandiam, Gandaui Flandriae visitabat nosocomia castrensia et IOAN. PALFYNVM, anatomicum atque chirurgum celeberrimum, inuisebat, Lugdunum Batauorum inde pergens eo animo, ut per sequentis anni tempus ibidem commorans in omni medicinae ambitu magis magisque se confirmaret. Inter eius itaque Lugdunenses academicos receptus, frequentabat scholas praecipue ALBINI practicas omnes, BOERHAAVII, chemiam et oculorum morbos explicantis, PETRI HOTTONI botanicam in horto academiae splendidissimo exponentis, BIDLOI cadauera secantis, LEMORTII (*le Mort*) lectiones chemicas habentis, SENGVERDI experimenta mechanico-physica instituentis. FRIDERICVM porro DEKKERVM, inter aegrorum curam senem factum, comitabatur in valetudinarium eiusque de morborum, qui erant obuii, natura eosque curandi ratione differentem audiebat. Neque matheſin, in primis mechanicam, a se volebat neglectam, insimulque con-

ficien-

sciendis microscopiis terendisque vitris usui physico aptis tempus dabat atque operam. Vt maiorem quoque et promtiorem linguae gallicae assequeretur usum atque facultatem, viri natione galli et hospitio et conuictu utebatur.

Ferias Lugduni iusto longiores esse constat. Eo autem tempore ad vicinas urbes excurrebat Noster aliosque viros doctos sibi reddebat familiares, ex quibus praecipue LEVSDENIVM collaudauit, quod praestantissimi sui thesauri anatomici atque chirurgici usum concesserit humanissime. Illud quoque ex his itineribus capiebat emolumenti, ut herbarum, quam instruebat, collectionem permultis rarioribus plantis locupletaret. RVYSCHII interim aliquando reuisendi ductus cupidine, Amstelodamum proficiscebatur, apud quem forte conueniebat THEODORVM IANSSONIVM AB ALMELOVEEN, qui, quum merita Nostri intelligens ab eodem perciperet, velle se doctoris medici honores quam proxime petere, multis modis rogabat eum, ut Harderouicum deueniret illosque honores a se cum maxime tunc temporis Academiae Rectore atque medicorum ordinis Decano acciperet, cuius etiam precibus tam honorificis cedebat locum, suaque ibi publice defensa dissertatione: *de tunica oculi choroidea* anno seculi octauo, mense maio, summis medicinae honoribus exornabatur, quos tamen, Lugdunum reuersus, per aliquod tempus celabat, ne offendiculo sibi forent acroases ibi coeptas ad finem perducturo. Inauguralis autem dissertationis illud ideo elegerat argumentum, quod RAVIVS non nulla RVYSCHII de ista tunica inuenta sibimet ipse tribuere voluisset, quae tamen Noster vindicabat praeceptori.

Hisce tandem academicis laboribus feliciter et cum laude absolutis, Amstelodamum se denuo referebat, parentibus suis consilium approbantibus, ea mente, ut medicinam in tam populosa ciuitate face-

ret

ret et lectiones haberet tum anatomicas, cum chirurgicas. Annuebat votis RVYSCHIVS, quippe cuius amicitiam familiaritatemque iam dudum sibi conciliauerat, adeo ut pactum cum ipso iniret, cuius vi cameram in valetudinario ipsi concederet et cadauerum promitteret multitudinem, ex quibus anatomen tirones doceret HEISTERVS, ea addita conditione, ut similes demonstrationes super illis arte paratis et in thesauro asseruatis partibus habendas, vellet sibi relictas RVYSCHIVS, honorarium vero, quod inde rediret, utrique commune esset. Itaque has scholas aperiebat Noster, atque cum applausu adolescentes informabat, gallica aeque ac germanica lingua utens. Subcesiuas horas exercitiis tribuebat botanicis et mathematicis, prioribus ex singulari, quo ferebatur in rem herbariam instinctu, posterioribus ex consilio sui hospitis, TIBERII HEMSTERHVSII, quo etiam duce in iisdem fruebatur.

Quum interim bella iam per aliquot annos gesta nondum essent composita, haec vero medicinae, quae manu medetur, exercitio optimam dare perspexisset occasionem, medio anno seculi nono iterum ad foederatorum exercitum secedebat, a RVYSCHIO ita commendatus, ut medici castrensis officio ornatus, Chirurgo inter Batauos primario, DE QVAVRE, adiungeretur, qui senio iam valde prouectus, quam plurimas operationes chirurgicas ab alacri HEISTERO praestandas lubenter permittebat, dexteritatem collegae quam maxime laudans. Vastissimum itaque, praesertim post cruentissimam istam prope Malplacetum pugnatam pugnam, efficacioris medicinae excolendae campum inueniens, omnem inde, quam modo posset, reportabat utilitatem. Inter alia tum temporis in BRISSALTII (*Brisseau*) dissertationem *de cataracta* eiusque nouam de hoc morbo sententiam incidebat Tornaci, paulloque post in oculo militis alicuius defuncti, cataracta obsesso prima vice

detege-

detegebat, eam haud in peculiari quadam pellicula, ſed in cryſtallina lente opaca facta conſiſtere. Expeditione huius anni finita, Amſtelodamum reuertebat Noſter, ſcholas ſuas anatomicas atque chirurgicas proſecuturus. Haud multo tamen poſt in tramite, quem ire coeperat, interpellebatur. Acciderat enim, cum Bruxellis medici fungeretur officio, ut medicus quidam Norimbergenſis, KOENIGIVS, eo veniret ad perluſtranda noſocomia caſtrenſia ibique multa de HEISTERI dexteritate percipiens, ipſum conueniret atque hortaretur, quo profeſſionis anatomicae et botanicae munus in academia Noricorum Altorfina, morte IACOBI PANCRATII BRVNONIS vacuefactum, peteret. Dato hoc conſilio acutius penſitato, a praeceptore RVYSCHIO commendatum ſe curabat Norimbergenſium celeberrimo medico, VOLKAMERO, et per hunc academiae illius ſic dictis curatoribus, quo fiebat, ut ſub initium veris anni 1710 quaeſita prouincia ipſi demandaretur.

Quum Angliam vero, et quae fini ſuo ibi conuenirent, perluſtrandi ingentem haberet cupiditatem, illudque regnum adhuc dum ſatis eſſet propinquum, ante, quam peteret Norimbergam, aequor traiiciendi orabat poteſtatem. Qua impetrata, per quatuor menſes commorabatur in hac felici inſula, cunctaque viſu aut notatu digna conſectabatur, celeberrimos ideo inuiſens viros, SLOANIVM, WOODWARDVM, NEWTONVM aliosque: ABRAHAMO CYPRIANO, dexterrimo chirurgo, aderat calculos ex veſica extrahenti: IACOBO PETIVERO, celebri botanico, comite ac duce, ſplendidiſſimum hortum Chelſeanum perluſtrabat, herbarum rariorum exoticarum copia donatus ab eo: cum LAVATERO, medico natione Heluetico, anatomico et chirurgo inter Anglos valde celebrato, ſingularem contrahebat amicitiam et famigeratiſſimi HAVKSBEI inſtrumenta mechani-

mechanica perſpiciebat. Tandem vero, Cantabrigienſi et Oxonienſi academiis interuiſis, cum inſigni librorum, inſtrumentorum, plantarum et foſſilium ſupellectili in Belgium redibat, amicisque Amſtelodami Lugdunique ſalutatis, iter proſequebatur in academiam, cui ſeſe deſtinauerat, Altorfinam.

Poſtea, quam eo peruenerat, quinto menſis decembris die anni eiusdem, quo iam diximus, ſeculi decimi traditum ipſi munus auſpicabatur, oratione habita *de hypotheſium medicarum fallacia et pernicie*. Scholas nunc hic quoque loci ſtatim poſt aduentum habere incipiebat medicas, praeſertim anatomicas atque chirurgicas, omnemque curam atque laborem in id impendebat, ut officio faceret ſatis, frequenti auditorum conuentu, ceu optimo laborum academicorum praemio, cohoneſtatus. Medicinam utramque multa cum laude atque inſigni fructu faciebat, adeo ut fama de ipſius peritia atque dexteritate cito percrebeſceret non inter ciues ſolum, ſed ad exteros quoque quin et ſummae dignitatis aegros, auxilium ipſius atque conſilia implorantes.

Parem inſuper comprobabat induſtriam in muſeo priuato, permultas conſcribens publicequa defendens diſſertationes, ex quibus prioribus quatuor iſtae ſatis inter viros doctos cognitae *de cataracta in lente cryſtallina* nouam duorum Gallorum, BRISSALTII (*Briſſeau*) et MAGISTRI IOANNIS (*Maitre Iean*) ſententiam confirmabant, quae deinde cum alia *de amauroſi* in unum volumen collectae anno 1713, auctioresque anno 1721, prodibant ſub titulo: *Tractatio de cataracta, glaucomate et amaurosi*. In opaca lente facta ut plurimum eum morbum conſiſtere aſſerebat quidem; ideo tamen pelliculam in humore aqueo concretam eius interdum eſſe poſſe cauſſam, quam reliqui tamen chirurgi vix non omnes huc uſque putauerant unicam et ſolam, haud negauerat. Acrem vero et inurbanum nanciſcebatur aduerſari-

nerianum, WOOLHVSIVM, medicum anglum, Parisiis degentem, qui non solum acerbam censuram *diario eruditorum gallico* inserebat, sed peculiari quoque epistola vehementius in ipsum inuehebatur, verum eius sententiam prorsus peruertens. Itaque contra iniquas has obiectiones se defendebat HEISTERVS duplici libello: Vnum edebat anno 1717 sub titulo: *Apologia et uberior illustratio systematis sui de cataracta;* alterum anno 1719: *Vindiciae sententiae suae de cataracta.* Quo acerbior autem fuerat WOOLHVSIVS cum suis assectis, eo maiori omnino laudi erat HEISTERO, quod plurimi alii viri docti sententiae ipsius subscriberent, publicisque testimoniis eam corroborarent, ANTONIVS quippe BENEVOLVS, Florentiae, ANTONIVS COCCHIVS, Romae, DE LYVES, Parisiis, MORGAGNIVS, Patauii, aliique. Hac satis acriter diuque gesta lite tandem composita, contra Taurinensem anatomicum, IO. BAPT. PLANCVM, (*Bianchi*) disputabat, qui valuulam coli, a CASPARO BAVHINO detectam, vere talem adesse negauerat, cuius vero praesentiam, conformationem atque usum peculiari quadam dissertatione demonstrans Noster vindicabat. Variis insuper aliis eo tempore editis, argumenti non minus grauis, dissertationibus et schediasmatis de auditoribus quin et medicorum uniuersitate bene mereri pergebat. Inter eas omnino referimus illam *de noua methodo curandi fistulas lacrymales*, in qua, expositis antea ductuum lacrymalium vicinarumque partium structura fistularumque ibi occurrentium indole, eas tollendi methodum ab ANELLIO inuentam et declaratam, et a se in Germania primum tentatam, exponebat, magisque inter Germanos reddebat cognitam. Quemadmodum vero aliorum inuenta in communem usum transferebat, suum cuique tamen auctori tribuens; ita et alii ipsius utebantur laboribus, non iisdem tamen iustitiae legibus obseruatis, quale

exemplum

exemplum dabat Gallus quidam, NOVGVERIVS, anatomicae cuiusdam inſtitutionis auctor, cui diſſertatio HEISTERI *de vera glandulae appellatione*, compendio poſthac ipſius anatomico annexa, adeo grata erat atque accepta, ut illam libello ſuo inſereret, verbo pro verbo translato, nec HEISTERO quidem nominato. Dum eſſet adhuc Altorfii, id accidit, ut ſingularem uteri in ipſo partu rupti caſum animadverteret, quo permotus, diſſertationem *de foetu ex utero matris mortuae mature exſcindendo* euulgabat, qua omnes, in primis penes quos eſt imperium, hortatur, ne foeminam ſub ipſo partu extinctam ante, quam uterus fuerit apertus, ſepeliri patiantur, quum foetum matri iamiam mortuae ſuperſtitem eſſe poſſe per experientiam conſtet. *Quatuor* inſuper *compendii anatomici* ſic dicta *ſpecimina* per annos 1715 ad 1718 ſub diſſertationum forma defendebat e cathedra, quae deinde collectae famigeratiſſimum ipſius ſiſtebant compendium anatomicum, prima vice Altorfii anno 1717 prodiens, ſaepius deinde variisque in locis recuſum, in germanicam, anglicam, italicam gallicamque linguas translatum, quod, cum omnium teratur manibus, ſaltem commemoraſſe ſufficiat. Nec plura nunc verba eandem ob cauſſam facere volumus de *chirurgicis inſtitutionibus*, quas in noſtratium chirurgorum uſum germanice conſcriptas primum edebat Norimbergae 1718, latine vero deinde Amſtelodami 1739 et 1750: Germanicum porro exemplar multoties ſaepiusque auctum prodiit; in epitomen vero redactum anno 1747 Norimbergae. Hiſpanico etiam et anglico idiomate donatus fuit utiliſſimus hic liber Madriti et Londini.

Doctrina igitur, ſtudio, induſtria atque laboribus HEISTERI longe lateque innoteſcentibus, fieri non poterat, quin eius merita ab omnibus agnoſcerentur. Ab Academia ergo Naturae Curioſorum Caeſarea, Regiisque ſcientiarum Berolinenſi et Londinenſi

dinenſi Acadd. recipiebatur inter ſocios; ab Academia vero Kilonienſi, anno 1719, ut in eadem profeſſoris medici munus vellet ſuſcipere, et ab Aula Brunſuico-Luneburgica, ut in Helmſtadienſi Academia anatomes et chirurgiae profeſſoris munus acciperet, eodem anno rogabatur. Prius quidem officium a ſe deprecabatur, alteri vero iuſſui obſequebatur, id tamen ſibi paciſcens, ut per inſtantem hiemem ad veris uſque initium Altorfii permanere ſibi liceret. Pari interim ſtudio, ac huc uſque ſolitus fuerat, per hoc reliquum in Academia Altorfina tempus inſeruiebat et ciuibus et aegrotis, rerum ſimul, quas colligebat, naturalium, herbarum potiſſimum apparatum magis magisque inſtruebat et in ordinem reducebat ſyſtematicum, in quo, quod plantas earumque nomina attinebat, IO. RAIVM et HOTTONVM, ſaepe TOVRNEFORTIVM et RIVINVM ſequebatur. Artibus etiam, quas ſibi cognitas fecerat, eam inſuper, quae in aes incidere docet icones, addere eiusque ſibi comparare facultatem eo conſultius ducebat, quo maiorem ſaepius inde fructum percipere poterit cum maxime anatomicus. Eodem adhuc hiemali tempore, quod Altorfii conſumebat, quum publice ſecaret cadauer, e cerebro humano praeparabat phosphorum omnia inflammabilia accendentem, cuius praeparandi modum in faſtis academiae Altorfinae ultimo menſe anni 1719 deſcripſit.

Decennio nunc Altorfii cum laude transacto, Helmſtadium ſe conferebat anno ſeculi viceſimo, Saxonicas in itinere inuiſens academias, doctosque viros ibi conueniens. Menſe iunio locum ſuum in Profeſſorum collegio occupabat, oratione publice recitata *de incrementis anatomiae in hoc ſeculo*, Guelferbyti paullo poſt impreſſa, quae hanc anatomes hiſtoriae partem egregie illuſtrat. Eundem hic loci academicorum laborum tramitem, quem ingreſſus fu-

erat Altorfii, ſtrenue perſequebatur, et docendo et diſputando et libros edendo, inter quos prae reliquis, reſpectu ſcilicet voluminis, eminent: *compendium medicinae practicae* anno 1743 Amſtelodami latine, recuſum Venetiis 1748, germanice Lipſiae 1744 editum, in quo plurimis, prout ſaepius obuenire ſolent, internis medendi morbis methodum proponit, et inter alia plura, ex conſilio non nullorum recentium medicorum, febres continuas, inteſtinales dicendas, rectius, ac ab aliis multis factum eſſe intelligimus, curare docet, praecipuo nimirum morbi fomite per aluum quam citiſſime eliminando calidiusque regimen euitando: *Syſtema* porro *plantarum generale ex fructificatione, cui annectuntur regulae de nominibus plantarum rite conſtituendis a Cl.* LINNAEI *longe diuerſae*, Helmſtadii anno 1748 euulgatum, RAII exemplum ſecutus, vegetabilia in duas ſummas claſſes ſeu *exercitus*, quos dicit, arbores ſcilicet et herbas, diuidit. Illae ſimul frutices maiores, hae autem frutices et arbuſculas minores comprehendunt. Altera claſſis, uti maxima, in tres alias, legiones ſiue familias dictas, diſpeſcitur; ex his prima herbas *monocotyledones* continet, *quarum ſemina fata unico tantum foliolo ſeminali*, altera *polycotyledones*, quorum *ſemina duobus vel pluribus foliolis e terra emergunt*, tertio tandem *cryptocarpas*, *quarum fructificatio adhuc obſcura, vel ſaltem nondum ſatis cognita eſt.* Harum porro legionum quaelibet in claſſes, ordines, genera, ſpecies et varietates diſtribuuntur, ut cuilibet plantae ſuus locus aſſignari poſſit: *Obſervationes* tandem *medicae, chirurgicae* et *anatomicae*, germanice prodeuntes Roſtochii 1753, in anglicum vero ſermonem translatae anno 1755 Londini, in quarum collectione curationum ab ipſo ad annum 1721 uſque factarum, prae aliis annotatione dignarum ipſi viſarum ſatis amplum agit recenſum: Illas vero, quae alteri edendo volumini deſtinauerat, cum eruditis commu-

communicandi occaſione per mortem quidem priuatus fuit, manu tamen ſcriptas et exaratas reliquit, ideoque adhuc forte expectandas. Plura quidem alia ſchediasmata ab ipſo conſcripta, plus nempe quam centum, praeſertim diſſertationes, obſeruationes etiam, collectionibus Vratislauienſibus, annalibus academiae Iuliae, et ephemeridibus potiſſimum Acad. Naturae Curioſorum frequenter inſertae, proſtant, quorum tamen recenſere catalogum limites noſtri haud permittunt, quapropter lectores noſtros ad ipſam, ſupra iam omni iure laudatam b. Viri *memoriam*, a Cl. WERNSDORFIO elegantiſſime elaboratam, vel quoque ad Cl. BOERNERVM ibidem adductum ablegare cogimur.

Anatomici munere fungebatur ad annum uſque 1730, quo medicinae theoreticae et botanices ipſi demandaretur prouincia, quam priorem tamen anno 1740 commutabat cum profeſſione practica, illa chirurgiae et botanices ſimul retenta. Quam ſtudioſus autem fuerit rei herbariae, et quam optime ex hac etiam ratione de ornamento et utilitate Academiae meruerit, vel inde patet, quod eius cura multisque etiam ab ipſomet collatis ſumtibus nouus, ampliſſimus et ſplendidiſſimus hortus medicus inſtructus ſit Helmſtadii, nulli facile in Germania cedens. Plantarum numerum, quum anno 1730 horti curam ſuſciperet, bis centum modo explentem adeo augebat, ut intra paucos annos ad aliquot millia aſcenderet, cuius iam per annum 1730 ad 1733 facti augmenti *indicem* ſingulis iisdem annis edebat; clarius autem illud apparet ex *enumeratione methodica plantarum horti medici Helmſtadienſis* hoc ipſo, quem agimus, anno ab Ill. PHIL. CONRAD. FABRICIO edita, quippe cui poſt mortem b. HEISTERI illius horti cura tradita fuit. Inſignis inſuper illi ipſius potiſſimum ſtudio et cura anno 1738 fiebat acceſſio, quum IO. HENRIC. SPRECKELSENIVS, Senatui

Hamburgenſi ab actis ſecretis, copioſum rariſſimarum plantarum apparatum, quem harum rerum amantiſſimus collegerat, horto donaret Helmſtadienſi.

Fama, quum medicinam facere modo coepiſſet Noſter, ad exteros iam delata effecerat, ut apud illos aeque ac indigenas, conſilio valeret atque auctoritate. Quo grauior autem fiebat aetate uſuque exercitatior, eo maius quoque exiſtimatio ipſius capiebat incrementum. Quo factum eſt, ut ipſius conſilia non ſolum frequentiſſime expeterentur, quin ſaepius, ut praeſentia iuuaret aegros, rogatus; ſed ab eminentiſſimis etiam principum aulis, ut archiatri profeſſorisque munus vellet ſuſcipere, euocaretur; id quod factum eſſe ſcimus ab Imperatore Ruſſorum, PETRO I. haud multo poſt, quam peruenisſet Helmſtadium; ab Epiſcopo inſuper Wurceburgenſi et Bambergenſi anno 1725, et ab Holſatiae Duce 1730; quorum tamen principum conditiones, quam honorificae quantaeque omnino eſſent, fidei atque officio Sereniſſimae Domui Guelficae iam datis poſtponere votique religione obſtrictus Helmſtadii permanere decernebat, a Sereniſſimo igitur Duce LVDOVICO RVDOLPHO et ſtipendii, quo fruebatur, augmento et Archiatri et Aulici Conſiliarii dignitate in meritorum fideique remunerationem exornatus.

In laboribus itaque et academicis et practicis, meritisque, quos inde conſequebatur, honoribus conſeneſcebat, officiis, quae ab ipſo poſtulabant ipſi credita munera, pro omnibus viribus ſatisfacere enitens, cum permultis inter exteros viris doctis per litteras de rebus medicis agens atque colloquens, inſignem et ampliſſimum librorum, inſtrumentorum, herbarum aliarumque rerum naturalium, colligens theſaurum. Quem ad modum vero totum vitae tempus in medicinae uſu aliisque inſeruiendo conſumſerat, ita etiam veluti in arena ſua moriebatur. Sub initium

initium enim veris anni ſuperioris, 1758, qui ob peſtilentem auram permultis Germaniae prouinciis funeſtus fuit, iter faciebat in vicum Regiae Lutterae proximum, aegro ibi decumbenti conſulturus. Vix autem aduenienſ, tam ſingulari afficiebatur languore viriumque defectu, ut illico lectum petere cogeretur ipſe. Helmſtadium protinus reportatus, paullo poſt ab iſta febre catarrhali maligna extinctus fuit die aprilis decimo octauo, Viri docti, indefeſſi et de anatome ac chirurgia inter Germanos meritiſſimi laudem conſecutus.

Ex duodecim liberis duos modo ſuperſtites reliquit filios. Illos ex matrimonio, quod anno ſeculi duodecimo inierat cum EVA MARIA, HENRICI HILDEBRANDI ICti et Anteceſſoris Altorfini primarii filia, ſuſceperatcuius autem ipſe funus extulit an. 1749, optimi exempli coniugem ex merito lugens. Nec minus acerbum fatum expertus fuerat anno 1740 morte filii, tanto patre digniſſimi, ELIAE FRIDERICI, qui anno 1715 natus, patris inſiſtens veſtigiis, ab ipſo iam Doctoris Medicinae, et a Sereniſſimo ſuo Principe Conſiliarii titulo ac honore exornatus, litterarium iter faciens, praeter opinionem obiit Lugduni Batauorum, quum abſens etiam Profeſſor medicinae Ordinarius, Patrisque Collega deſtinatus eſſet, Vir maximae omnino ſpei, a cuius ſtudiis atque induſtria eruditorum orbis omnino multa expectare potuiſſet.

XV.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757 prodierunt.

MICHAELIS LOMONOSOW Oratio de generatione metallorum a terrae motu, habita in conuentu academiae IIX Id. Sept. 1757. Petropoli, 4.

PETR. NICOL. LOTICHII Diſſ. inaug. med. de phosphoris et phosphoro urinae. Lugd. Bat. 4 mai.

Lettre de Monſ. LOVIS à Mr. BAGIEV ſur les amputations; à Paris, 12.

An Analyſis of D. RVTTYS methodical Synopſis of mineral waters by CHARLES LVCAS. Lond. 8.

HIERONYM. LVDOLF, Diſſ. ſiſtens incommoda placentae a fundo uteri aberrantis. Reſp. *Car. Veit. Weidner.* Erford. 4.

CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG, Progr. Obſeruata in ſectione cadaueris, cuius oſſa emollita erant, proponens. Lipſ. 4.

Eiusd. Inſtitutiones hiſtorico-phyſicae regni vegetabilis praelectionibus academicis accommodatae. Editio altera aucta et emendata. ibid. 8.

IOAN CHRISTIAN LVDWIG Diſſ. inaug. de vulnerum reſiduo. ibid. 4.

IOH. PHILIP. LVTKE, *Verſuche eines neuen phyſicaliſchen Syſtems nach phyſicaliſchen und chymiſchen Gründen entworfen. Frankfurth und Leipzig*, 8.

Proſpectus de l'Hiſtoire Naturelle, éclaircie dans une de ſes parties principales, la Conchyliologie, qui traite de coquilles de mer, de rivieres et de terre: Ouvrage dans lequel on trouve une nouvelle méthode latine et françoiſe de les diviſer: augmenté de la Zoomorphoſe, ou repreſentation des animaux acoquilles avec leurs explications. Nouvelle édition, enrichie de figures deſſinees d'après nature par M ***. à Paris.

Plan

Plan d'un Cours de Chymie experimentale et raiſonnée; avec un diſcours hiſtorique ſur la Chymie; par Mr. MACQVER et Mr. BAVME; à Paris, 8.

PETR. LVDOV. MALCET Quaeſt. med. an ut caeteris animantibus, ita et homini ſua vox peculiaris? Reſp. *Iacob Savary*. Pariſ. 4.

IOSEPH. ANTON. MARKMÜLLER Diſſ. de ſapone veneto. Viennae, 4.

RICHARDI MEAD Monita et praecepta medica. Pariſiis, 8.

Avis et Préceptes de Médecine du Docteur MEAD, avec un diſcours académique ſur les qualités qui conſtituent et perfectionnent, les Médecins par Mr. KAAV BOERHAAVE; traduit par Mr. de PVISIEVX. ibid. 12.

Diſſ. epiſtolar. de vaſis lymphaticis glandulisque conglobatis ad Ill. ALBERTVM DE HALLER a IO. FRID. MECKEL. Berolini, 4.

Nouvelles obſervations ſur le Pouls, par rapport aux Criſes par M. MICHEL; à Paris, 12.

ALEXANDER MONRO, Iun. de venis lymphaticis valuuloſis et de earum in primis origine. Berolini, 8.

I. FRANC. CLEMENT. MORAND, Quaeſt. med. an ex heroibus heroes? Nancy.

FRID. IVST. MVELLER Diſſ. inaug. Analecta chemica de vitro antimonii exhibens. Goetting. 4.

GERARD. ANDR. MVLLER Diſſ. Biga obſeruationum chirurgico-medicarum. Reſp. *Theod. Frid. Ludw. Balſer*. Giſſae, 4.

Eiusd. Diſſ. Functionum corporis humani manifeſtarum genera et ſpecies reformatae ad mentem GER. ANDR. MVLLERI. Reſp. *Philip. Dav. Buſch*. ibid. 4.

PAVL SAMVEL MÜLLER Conuulſionum et epilepſiae infantum ex leuiori dolore prodeuntium rationes medicae. Halae, 4.

FRANCISC. DE LA MVRE, Quaeſt. med. de ſenſibilitate et contractibilitate partium in corpore ſano. Reſp. *Franciſc. de Bordeu.* Monſpelii, 4.

IOAN. ANDR. MVRRAY, Enumeratio vocabulorum quorundam, quibus antiqui linguae latinae auctores in re herbaria uſi ſunt. Holmiae.

PETR. VAN MVSCHENBROEK, Phyſicae experimentalis et geometriae diſſertationes, ut et Ephemerides meteorologicae Vltraiectinae. Viennae, 4 mai. c. f.

Eiusd. Tentamina experimentorum naturalium, etc. ibid. 4. mai. c. f.

Hiſtoire naturelle des animaux par Mr. ARNAVLT de NOBLEVILLE et SALERNE, Tome quatriéme, cinquiéme et ſixiéme; à Paris, 12. Voll. 3.

IOAN. PETR. NORDMANN, Diſſ. inaug. de iſchuria grauidarum. Argentor. 4.

IACOB. HENR. OLTENS, Diſſ. inaug. de Ἀναζέμωσι, Lugd. Batav. 4.

PETER OSBECK, Dagbok ofwer en Oſtindisk Reſa me anmärkningar uti Naturkundigheten, främmande folkſlags ſpräk, ſeder, husholling. Stockholm, 8. mai.

WILL. OVDENAARDEN, Diſſ. med. de vigilio ſano et morboſo. Lugdun. Batav. 4 mai.

Lithotomie nouvellement perfectionnée avec quelques eſſais ſur la pierre et ſur les moyens d'en empecher la formation par Mr. PALVCCI; à Vienne, 8. c. f.

Der Herren PERRAVLT, CHARRAS *und* DODARTS *Abhandlungen zur Naturgeſchichte der Thiere und Pflanzen, welche ehemals der Königlichen Franzöſiſchen Academie der Wiſſenſchaften vorgetragen worden, mit vielen dazu gehörigen Kupfern. Erſter und Zweyter Band. Leipzig,* 4. mai. Voll. 2.

Plantarum Americanarum faſciculus quintus, continens plantas, quas olim CAROLVS PLVMIERIVS detexit

detexit eruitque, atque in insulis Antillis ipse depinxit; has primum in lucem edidit, concinnis descriptionibus et observationibus aeneisque tabulis illustrauit IOANNES BVRMANNVS. Amstelod. et Lugd. Batau. fol.

Eiusdem libri fasciculus sextus. ibid. fol.

I. H. POTTS *physicalisch-chymische Abhandlung von dem sonderbar feuerbeständigen und zartflüßigen Urinsalz, und dessen weitläuftigen Anwendungen und Nutzen. Ingleichen eine Untersuchung der Verbindung eines Acidi Vitrioli mit den sauern Weinstein.* Berlin, 4.

Ebendesselben chymische Untersuchungen, welche fürnemlich von der Lithogeognosia, *oder Erkenntniß und Bearbeitung der gemeinen einfacheren Steine und Erden, ingleichen von Feuer und Licht handeln. Zweyte Auflage, so von dem Autore an einigen Orten verbessert, und mit einem neuen Anhange vermehret, darinn die bishero zum Vorschein gekommene Beurtheilungen untersuchet, und verschiedene physicalisch-chymische Materien derer Gegner mit neuen Experimenten erläutert werden, wie auch einem Register über alle drey Theile.* ibid. 4.

SAMVEL. THEOD. QVELMALZ, Progr. de pane succedaneo corticeque tiliae interiori. Lipsi. 4.

Eiusd. Progr. de exhalationum putridarum ex cadaueribus bello trucidatorum suppressione. ibid. 4.

CONRAD RAHN, Diss. med. de aquis mineralibus Fabarienſibus seu Piperinis. Lugdun. Batau. 4. mai.

